DE

USU PLINIANO.

DISSERTATIO

QUAM

UNA CUM THESIBUS QUIBUSDAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS CONSENSU ET AUCTORITATE

PRO IMPETRANDA VENIA DOCENDI

IN

ALMA UNIVERSITATE JULIO - MAXIMILIANA

DIE XVIII. FEBRUARII MDCCCLX

IN AULA ACADEMICA

DEFENDET

LAURENTIUS GRASBERGER

DOCTOR PHILOSOPHIÆ.

WIRCEBURGI.

SUMPTIBUS STAHELIANIS.

MDCCCLX.

.T,
aris.

DE
USU PLINIANO.

DISSERTATIO

QUAM

UNA CUM THESIBUS QUIBUSDAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE

PRO IMPETRANDA VENIA DOCENDI

IN

ALMA UNIVERSITATE JULIO - MAXIMILIANA

DIE XVIII. FEBRUARII MDCCCLX

IN AULA ACADEMICA

DEFENDET

LAURENTIUS GRASBERGER

DOCTOR PHILOSOPHIÆ.

WIRCEBURGI.

SUMPTIBUS STAHELIANIS.

MDCCCLX.

WIRCEBURGI, TYPIS F. E. THEIN.

DE
USU PLINIANO.
PARS PRIOR.

Quum per hos quinque annos animadverterem, quam multi viri quanto studio in eo elaborarent, ut in quaestionibus suis Plinianis vetustae lectionis memoriam quam maxime possent veram repeterent ex omnibus undique codicibus, mirabar equidem quid causae esset, quod inde ab eo tempore, quo prodiit editio Silligiana, huic uni operae omnes intenti essent, de singulari ac proprio Plinii scribendi genere separatim diceret nemo. Vix enim unam alteramve hujusmodi observationem allatis plerumque scripturae discrepantiis interpositam est videre. Quid ergo? num in inchoato, nedum absoluto restituendi atque interpretandi Plinium labore, quod erat extremum, ab initio ego sum constituturus? Ego vero in recensendo hoc auctore arbitror fore, ut non paucae conjecturae deprehendantur falsae esse multique multorum appareant errores, qui sibi, dum ipsum scriptorem corrigunt, verba codicum emendasse videntur. Igitur censeo suscipiendas partes laboris novi, intactas illas quidem adhuc aut paene intactas, ut omne scriptoris dicendi genus et indoles tota accuratius investigentur. Quamquam non eum mihi animum sumo,

ut grammaticam Plinianam me putem jamjam condidisse hoc tenuissimo libello, quo et vocabulorum sim copiosus interpres et variam eorum compositionem seu syntaxin doceam. Non adeo felix ego cerebri! Sed initia rei videar fecisse nostra aetate. Nam post Wannowskium, qui primus ante hos duodecim annos programmate publico anniversario Gymnasii Posnaniensis [1]) quaestionem de his instituit, nemo, ni fallor, repertus est, qui talem vel similem curam impenderet Naturalis Historiae libris. Ceterum Wannowskium videmus versatum esse tantummodo in etymologica operis parte tractanda, neque compertum habeo, an plura is etiam postea ex inchoato (cf. praefat.) opusculo protulerit. Nunc praemissis ille observationibus de substantivorum ratione circa adjectivorum maxime formas et verborum composita detinetur nec nisi in extremis de iis, quae ad syntaxin Plinianam pertinent quaeque in pertractando scriptore magni sunt eruntque momenti, ut de usu ablativi absoluti, admodum paucis agit. Neque vero, quod infra suo loco ostendam, in his vocabulis rem absolvit, omissis inter alia multis de numero eorum, quae una eademque forma Plinii vel propria (ut est *fortassis*, et similia) vel *ἅπαξ εἰρημένα* dicantur. Verum quum ab exordio libelli confessus sit ipse se lexicographorum hac in re testimonia secutum esse seque profiteatur, si illi erraverint, erroris consortem fore, ne nos inique de laudibus docti viri detraxisse videamur, monendum est eum primum et solum fuisse qui constituto quodam indice vocabulorum quae pro-

[1]) Programm des k. Marien-Gymnasiums zu Posen, 1847.

pria sint Plinii ab eoque formata ac novata, nisi quod compositionem vel syntaxin neglexit, quasi fundamenta jaceret condendi onomastici Pliniani.

Atque ad ea, quae fundamenta esse dixi grammaticae Plinianae me quoque spero propositis his grammaticis quaestionibus nonnihil collaturum evolutis libris Naturalis Historiae saepius adjectisque in comparationem rei Senecae, Taciti, minoris Plinii, Quintiliani aliorumque scriptis: unde appareat quanto opere Plinius a communi verborum consuetudine usuque quotidiano discesserit quantumque in maxima rerum argumentorumque copia magnitudine amplitudine contulerit sermoni Latino, qualis vigebat ipsius aetate, proferendo et augendis vocibus et novandae amplificandaeque dictioni. Et movebant me, ut hunc operae finem mihi proponerem, quae *Urlichsius* in Chrestomathia Pliniana ante hoc biennium edita passim de vario usu verborum subscripserat vel tacite, prout ipsa editionis ratio postulabat, significaverat. Quibus ego visis libros singulos Nat. Hist. denuo legere constituebam accurateque, quidquid in comparanda et explicanda syntaxi responderet proposito, repetere atque ita demum quasi nova incedentem via conferre aliquantum cum ad operis difficillimi interpretationem, tum ad litteras latinas argentei, quod vocant, saeculi exquirendas et accuratius cognoscendas. In quo quidem doleo, quod attinet ad lectionis discrepantias, novissimae curae *Jani* tria tantum priora volumina praesto mihi fuisse, quartum nunc demum quum haec scribo in lucem prodiisse. Unde multas quaestiones, quae se volunt accuratiore illa codicum collatione persolvi, dum ad haec alienis

a proposito occupationibus distineor, in aliud tempus cogor dimittere.

Igitur primum dicturus sum de *brevitate dicendi* et quibus modis Plinius praesertim in casibus obliquis eam videatur sectari, deinde de *dictionis varietate* seu studio miscendae variandaeque compositionis, tum de pleniore dictione seu *pleonasmo*, ut in verborum modis ceterisque quae Plinii *maxime propria* sunt acquiescam.

I.

DE BREVITATE DICENDI.

I. DE ELLIPSI.

In narrando et describendo Plinius miram ubique sequitur brevitatem, exceptis aliquot librorum exordiis, in quibus aliquantisper sibi indulget, ut a contemplatione rerum quasi tollens oculos paulo verbosius vehementiusque invehatur in varia vitae vitia et avaritiam saeculi. Atque ex iis, quae huic generi adstrictae orationis plurimum conferunt, primum locum sibi vindicaverunt ἐλλείψεις quas graeco vocabulo dicunt, quae maxime constant omisso *substantivo*, ita ut adjectivum aliquod vel pronomen adsit ad instar substantivi, deinde etiam *verbo* praetermisso, ut enuntiatum qualecunque, licet intercurrat relativum vel aliud simile interpositum, verbo possit carere.

A. DE ELLIPSI SUBSTANTIVI.

Jam prioris generis haec potissimum exempla memorata velim.

α) Vocabula *temporis* omissa videmus in lib. XX, 17, 187: *Oris halitum jucundiorem facit faetoremque tollit*

manducatum (anesum) *matutinis* (sc. horis). Item XXI, 7. 36: *Omnis autem* (rosarum odor) *verno tempore acrior et matutinis. Quidquid ad meridianas horas dies vergit hebetatur.* XI, 10, 20: *Quies in matutinum* (sc. tempus) *apibus.* XXXIII, 2, 30: *Servatumque in hodiernum* (sc. diem) *est ne quis* sq. VII, 55, 188: *natalem.* XXVIII, 5, 14: *frigida matutinis impari numero ad cavendos dentium dolores.* XIX, 3, 37: *Tenerrima* (tubera) *autem verno* (sc. tempore), ut XXI, 7, 36: *verno tempore.* Ibid. 42: *folium ipsum verno deciduum.* XI, 25, 86: *matutino.*

β) Vocabula *loci* desunt II, 96, 211: *in Vejente* (sc. agro). XIV, 6, 67: *in Veroniensi.* Ibid. 68: *in Narbonensi*, sexcenties ita, ut illa apud Ciceronem in *Arpino*, in *Tusculano* meo. VIII, 40, 144: *Qui Cascellium jus civile docuit asturcone e suburbano redeuntem* sq. Etiam addito casu, velut XIX, 1, 9: *in vicino Alianis.* XII, 13, 52: *e Rubro* (sc. mari, ἐκ τῆς Ἐρυθρᾶς). XXI, 2, 20: *in Coryco*, sed ibid. 4, 30: *in Coryco monte.*

γ) *Usus medici* est imprimis ellipsis vocabuli *febris* in libris de medicina, velut in *tertiana*, *quartana*, *quotidiana* (cf. Zumpt § 763). XXVIII, 7, 83: *Sotira obstetrix tertianis quartanisque efficacissimum dixit plantas aegris subterlini* sq. Similiter desunt *partes* vel *pars*, XXIX, 4, 21: *Adipem cum olei sextario decoquunt ad dimidias.* XIV, 9, 80: *musto usque ad tertiam* (sic Janus) mensurae decocto. Ibid. 17, 113: *ad tertias partes decoquunt et tertiam veteris mellis adjiciunt.* Cum quibus conferantur *verendae* vel *verenda* (sc. partes vel membra) et similia, *secundae* feminarum (XXIII, 16, 25, passim). Praeterea *remedium*, velut XXVIII,

6, 17: *absolutoriumque ejus mali dicitur* sq. Ibid. *mitigatorium*. Ibid. 27: *amatorium*. XXIII, 46, 91: *decoctum foliorum*, ibid. 62, 115. 63, 122. 75, 144 sq. Saepissime omittitur *aqua*, cf. XXIII, 41, 83: *cum pari caldae mensura*. XXVIII, 5, 14: *frigida matutinis impari numero* sq. [1]).

δ) *Promiscui usus* haec adjecerim exempla: *Liburnicae*, ut alibi *Liburnae* (IX, 29, 88), *Africanae* (sc. bestiae, Dio 59: *Λιβυκὰ θηρία*), *canini* (sc. dentes, XI, 37, 160), *Laconici* vel *Laconicae* (sc. canes, X, 63, 178), *ludicrae* (sc. coronae, XXI, 3, 7). XXX, 4, 11: *in passo* (sc. vino) *dari potui*. XXIII, 4, 7: *melle aut passo*. Ibid. 24, 46. XXVIII, 2, 11: *Praeterea alia sunt verba impetritis* (cf. Url. l. l. p. 248), *alia depulsoriis* sq. Ut alias dicuntur *dirae* (sc. preces). Mira vero et singularis, si quidem certa locus nititur lectione, exstat omissio substantivi VII, 48, 159: *In Tmoli montis cacumine quod vocant Tempsim CL annis vivere* (sc. homines) *Mucianus auctor est* [2]).

---

[1]) Et apud Plinium quidem semper *calda* sive *calida* exstat (cf. XXVIII, 12, 195: *calida aqua*), apud Catonem et Columellam praeterea *caldum* (τὸ θερμόν, sc. ὕδωρ). Cf. etiam apud Senecam ep. VI, 1, 3: vetus *frigidae* cultor mitto me in mare. VII, 5, 1: nondum me committo *frigidae* verae. Dial. III, 1, 12: Si *calda* non bene praebetur sq.

[2]) Universo cum genere cf. apud Senecam Epp. IX, 2, 12: te in coelo *compendiario* (sc. itinere) voco. XX, 2, 1: *compendiaria* (sc. via) te ducam. Quaest. Nat. III, 13, 2: (humor) in diductione ad *quartas* redactus est. Ibid. 16, 2: *quartana* ad horam venit sq. Dial. VII, 4, 4: *alternis* possidebunt (sc. vicibus, ἀμοιβαῖς, quod sic etiam apud Livium occurrit). Quaest. Nat. I, 3, 1. Epp. IX, 1, 9. Contra ibid. I, 12, 7: *alternas* mundi *vices*. Rursus IV, 8, 4:

Huic generi omissorum substantivorum adnumeraverim deinceps aliud ad imitationem Graecorum usitatum per *appositionem* in nominibus propriis. XXVIII, 12, 50: *Poppaea hoc Neronis principis instituit* sq. (die Gemahlin des Kaisers Nero). XXXV, 17, 58: *jubente Agrippina Claudii Caesaris.* XXXIII, 3, 19: *Nos vidimus Agrippinam Claudii principis* sq. [1]). XXXV, 2, 2: *Testes sunt et Atticus ille Ciceronis* (sc. *amicus*) *edito de iis volumine et Marcus Varro* sq. Ibid. § 99: (Aristides Thebanus) *pinxit et Leontion Epicuri* (sc. amicam, die Geliebte Epicurs).

---

tam graves dominos, interdum *alternis* imperantes, interdum pariter sq. XV, 3, 57: intermissa adpetitaque *alternis* fluctuantur. XX, 8, 19: Quidam *alternis* Vatinii, *alternis* Catones sunt et modo sq. Martial. Epigr. VI, 42, 8: Nusquam tam nitidum micat *serenum* (sc. caelum). Verum hactenus.

[1]) Apud Plinium Secundum in epistolis cf. II, 11, 12: Stabat modo consularis, modo *Septemvir Epulonum*, jam neutrum. Ubi temere nonnemo tentavit corrigere *Epulo*; firmatur enim genetivus etiam loco Gellii N. A. I, 12. Orell. Inscriptt. I, 386. Ibid. 20. 1: *Verania Pisonis* graviter jacebat. X, 4: vocatur ipse Harpocras: patronam habuit *Thermuthin Theonis*, quae jam pridem defuncta est. Tacit. Annal. IV, 11: ordo sceleris per *Apicatam Sejani* proditus. XII, 1: Maxime ambigebatur inter *Lolliam Paulinam M. Lollii consularis*, et Juliam Agrippinam *Germanico genitam.* Facilis admodum ellipsis propter inseq. genitam. Sed haec poetis imprimis latinis frequentia esse scimus a Vergiliano illo *Hectoris Andromache;* apud graecos, ni fallor, latior ille usus in prosa oratione, ut apud Herodotum VII, 204: Λεωνίδης, ὁ Ἀναξανδρίδεω, τοῦ Λέοντος, τοῦ Εὐρυκρατίδεω sq. Quid? quod etiam apud Ciceronem occurrunt: de fin. V, 5, 13: *Hujus* (sc. *discipulus*) *Lyco* et oratione locuples, rebus ipsis jejunior. Concinnus deinde et elegans *hujus Aristo.* Ad Famil. IX, 10: cum *Sophia Septimiae* (sc. *filia*). Apud Livium legitur XXV, 37: *Hasdrubalem Gisgonis* (sc. *filium*).

Quamquam hunc locum nuper Urlichsius, elegantissimus Plinii interpres, verborum transpositione correxit, ex temporibus conjiciens de Leontio viro quodam Thebano sermonem esse; etenim Leontion Epicuri vix pingi potuisse ab Aristide propter temporum diversitatem [1]. Constat vero lectio ibid § 144: (Theodorus pinxit) *Leontium Epicuri cogitantem.*

Sunt alia et ipsa ad imitationem linguae graecae deducta in vocabulis terrarum regionumque, qualia XVIII, 24, 201: (Hesiodus) *scribebat in Boeotia Helladis* (*τῆς Ἑλλάδος ἐν Βοιωτοῖς*). XXI, 5, 24: *Laudatissimum* (lilium) *in Antiochia et Laodicea Syriae.* XVI, 13, 62: *in Ida Troadis.* XXXI, 2, 14: *juxta Solos Ciliciae.* X, 12, 31: *circa Crannonem quidem Thessaliae.* XVI, 16, 71: *in Olympo Macedoniae.* XXXIII, 4, 21: (Aurum invenitur) *fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniae, Padò Italiae, Hebro Thraciae, Pactolo Asiae, Gange Indiae.*

B. ELLIPSIS VERBI.

Deinde (quam alteram ellipsin supra posui) non minus frequens est in Naturali Historia *verbi* omissio variis in enuntiatis, quae quidem ellipsis aeque ac prior illa multum confert breviter dicendo. Ac primum mira libertate vel in iis, quae ad alterum membrum enuntiati referuntur neque unquam per se stare possunt, verbum haud raro deest. X, 41, 118: *Verum addiscere alias* (picas) *negant posse quam quae ex genere earum* (sc. *sint*), *quae glande vescantur.* XVI,

---

[1] Cf. Programma Acad. Wirceb. 1857.

25, 93: *Hoc* (vento) *maritantur vivescentia e terra, quippe cum etiam equae in Hispania, ut diximus.* Longe saepissime autem verbo *esse* carent Infinitivi compositi quique conjunguntur cum Accusativo, hoc sane non sine duritie quadam sermonis, ut XI, 19, 61: *Est in exemplis equos ab iis* (apibus) *occisos.* X, 29, 84: *Visum jam saepe jussas canere* (luscinias) *coepisse et cum symphonia alternasse, sicut homines repertos qui* sq. XVI, 41, 221: *arbores esse ex quibus naves fierent quas CC annis durantes inventas et, si mergerentur, incorruptas.* Ibid. 44, 238: *Sunt auctores et Delphicam platanum Agamemnonis manu satam et alteram in Caphyis* (sic Janus) *Arcadiae luco.* XVII, 11, 77: *Rariores serendas* (ulmos) *in campestribus convenit.* XVIII, 11, 172: *Vulpinam linguam habentes in armilla lippituros negant.* Ibid. 2, 21: *Caesarem dictatorem .... ferunt ..... carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum.* X, 54, 153: *Scitum de quodam reperitur Syracusis, tamdiu potare solitum* sq. X, 7, 20: *in desidia rerum arbitror non agnitos.* XXXV, 36: *Haec* (ancilla) *Protogenem foris esse respondit interrogavitque a quo quaesitum* (sc. esse dominum) *diceret.* Sed innumerabilia occurrunt ubique exempla hujus generis apud nostrum auctorem, Senecam, Tacitum, Quintilianum, cunctos praesertim argenteae, quam vocant, aetatis scriptores. Quare videamus alia eaque memoratu magis digna.

Nam multo mihi durior ellipsis ejusdem verbi videtur in his: X, 2, 3: (Phoenix) *aquilae narratur magnitudine*[1]. VII, 2, 26: *Super hos* (Astomos) *ex-*

---

[1]) Cf. Urlichs. l. l. p. 144, qui conjungit cum seqq. *narratur — honestari.*

trema in parte montium *Trispithami Pygmaeique narrantur*. X, 20, 44: *Ab auctoribus non gloriosum tantum animal hoc traditur, sed et* sq. Ibid. 23, 63: *Olorum morte narratur flebilis cantus.* VI, 31, 200: *Contra hoc quoque promontorium Gorgades insulae narrantur, Gorgonum quondam domus* sq. XXIX, 6, 38: *Ciconiae pullum qui ederit, negatur annis continuis lippiturus.* Eadem ratione nec minore brevitate etiam participia inseruntur, ut II, 10, 43: *Endymion, ob id amore ejus captus fama traditus.* XI, 37, 203: *In ventre hirundinum pullis lapillo candido aut rubenti colore, qui chelidonii vocantur, magicis narrati artibus reperiuntur.* Atque ita verbo *intelligendi* passiva forma adhibito nunquam, opinior, additum invenitur *esse.* II, 39, 105: *Ut solis natura temperando intelligitur anno, sic* sq. XVI, 34, 149: *Horum error manifestus intelligitur* (ἁμαρτόντες ἐξεληλεγμένοι εἰσίν). XXXIII, 4: *quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur* (Str.: „weil man im Auslande die Geehrtesten daran erkannte“) [1]. XI, 37, 141: (Oculi) *in homine numerosissimae varietatis atque differentiae, grandiores, modici, parvi, prominentes, quos hebetiores putant, conditi, quos clarissime cernere, sicut in colore caprinos.*

Jam vero hoc posterius exemplum hortatur, ut transeam ad alios locos, quibus verbum, ut tacite sup-

---

[1]) Prorsus ita intelligo XXXVII, 10, 60: *Hammonis cornu inter sacratissimas Aethiopiae gemmas ..... promittitur praedivina somnia repraesentare*, „soll vorbedeutungsvolle Träume veranlassen“. Mirum etiam hoc: XXII, 22, 90: *contra sanguinem tauri demonstrat sucum ejus sonchi*, „bezeichnet als Gegenmittel“.

pressum est, ita ex antecedenti vel insequente sententia facile suppletur. XXXIII, 7, 40: *Sed adulteratur* (minium) *multis modis, unde praeda societati* (sc. est). Adeoque duplex occurrit omissio verbi, dura illa quidem. XVI, 3, 6: *Glandiferi maxime generis omnes* (arbores) *quibus honos apud Romanos perpetuus.* XVI, 43, 232: *Ut una arbor saepius veniret, excogitatae sunt et ligni bratteae. Nec satis. Coepere tingui animalium cornua* sq. XV, 30, 134: *Fortassis etiam in argumentum*[1], *quoniam ibi* sq. XX, 13, 131: *Hic copiosior datus* (sucus rutae) *veneni noxiam obtinet, in Macedonia maxime juxta flumen Aliacmonem, mirumque* (und was merkwürdig, auffallend ist) *cicutae suco exstinguitur.* Prorsus ita IX, 51, 159: *mirumque.* XVII, 10, 74: *Mirumque dictu.* Ibid. 14, 112: *Mirum quod* sq. XXI, 8, 47: *Alexandrino* (amaranto) *palma, qui decerptus adservatur, mireque, postquam defecere cuncti flores* sq. XVI, 32, 133: *Sed maxime mirum* (τὸ δὲ δὴ θαυμαστότατον), *Antandri platanus etiam circumdolatis lateribus restibilis sponte facta vitaeque reddita* sq. (sc. memoratur)[2].

His demum, quae modo attuli, exemplis ea adjecerim, quae difficiliorem quandam ellipsin verbi prae se ferunt, cujusmodi alias nonnisi apud poetas fere et in epistolarum genere familiari invenimus. XVIII, 3, 22: *peritisque Punice* (sc. loqui) *dandum negotium* sq.[3])

---

1) Cf. Zumpt. § 770.

2) Cf. etiam XII, 17, 78: Peregrinos ipsa (Arabia) *mire* odores et ad extores petit. Et quae infra dicemus de parenthesi vocabulorum.

3) Quocum apud Plin. Secund. cf. in epp. VII, 4, 9: Legitur, describitur, cantatur etiam, a Graecis quoque, quos *Latine* hujus

X, 41, 120: *Agrippina Claudii Caesaris turdum habuit, quod nunquam ante, imitantem sermones hominum.* In hoc erit supplendum: *evenit*, *observatum*, vel potius ex usu Pliniano *notatum est*, ein früher nie beobachteter Fall, ut lib. XVI, 36, 169: *quod notatum apud Chaeroniam infausto Atheniensium*, et saepius ita. XIX, 8, 167: *Sacopenium et ipsum in hortis quidem, sed medicinae tantum*, sc. nascitur, quoniam antecesserat: *Git pistrinis, anesum et anetum culinis et medicis nascuntur.* XXVIII, 6, 17: *Quippe cum Hercules eum* (nodum) *prodiderit. Numerum quoque quaternarium Demetrius condito volumine, et quare quaterni cyathi sextariive non essent potandi.* Hoc est: *significavit* vel *interesse*, *referre prodidit*. (Strackius: „auch die Zahl Vier bezeichnet D. in einem eigenen Werke *als wichtig und sagt dabei*, wesshalb etc.") Nisi vero tu mavis hunc ablativum absolutum habere aut instrumentalem, ut XXV, 2, 11: *testes sunt Atticus ille Ciceronis edito de iis volumine* sqq. IX, 34, 105: *Quid mari cum vestibus, quid undis fluctibusque cum vellere?* sq. [1]).

---

libelli amor *docuit*. Quemadmodum dicebant *Latine scire*, *Latine doctus*.

[1]) Plin. Secund. epp. II, 8, 1: Studes? an piscaris? an venaris? *an simul omnia?* (sc. facis). Ibid. III, 9, 11: Qui (Sertorius) robustissimum et infirmissimum militem *jussit caudam equi:* reliqua nosti. Habes miram ἀποσιώπησιν honoris causa adhibitam, *praecisionem* appellatam Aut. ad Herenn. IV, 30. Ibid. V, 6, 44: Similiter nos, *ut parva magnis*, cum totam villam oculis tuis subjicere conamur. (sc. componamus, ut est apud Vergil. Eclog. I, 24: Sic parvis componere magna solebam.) Ibid. *Verum illuc*, unde coepi, (sc. revertar, ut saepe etiam apud Ciceronem. Ibid. VI, 1, 1: *Quamdiu ego trans*

Singularia iterum et majoris momenti sunt, quae sequuntur XXXIV, 1, 3: *Quaestus causa enim, ut omnia, exerceri coepta est* (ars), *quae gloriae solebat.* XXXIII, 3, 14: *Antonius apud nos in contumeliam naturae vilitatem auro fecit, proscriptione dignum, sed Spartaci* (sc. facinus). Cum quo cf. XXVIII, 5, 24: *Attalus adfirmat scorpione viso, si quis dicat Duo, cohiberi nec vibrare ictus.* Atque ita cum subjectum tum objectum enuntiati aliquotiens supprimitur eodem quod significavi significaturusque sum brevitatis studio. Cicero quidem *cupiditatem plura habendi* dixerat; jam Plinius, ut nos patrio sermone dicimus *Habgier, Habsucht*, *habendi cupidinem* dixit (XXXIII, 3, 14. 10, 47), et hunc secutus Plinius minor in epp. IX, 30. extr.

Denique ut verbum substantivum saepius supplendum est apud Plinium, ita haud raro vel contrariae sententiae verbum aliquod dicendi declarandique desideratur. Cujus generis exempla legimus XXVIII, 7, 80: *Ne igne quidem* (bitumen) *vincitur, quo cuncta* (sc.

Padum, tu in Piceno, minus te requirebam; *postquam ego in urbe, tu adhuc in Piceno,* multo magis. Ibid. VIII, 4, 5: Cur enim non *ego quoque poetice cum poeta?* IX, 19: Addis etiam, *melius rectiusque Frontinum* (sc. egisse). Sed haec et similia, ut dixi, propria familiaritatis.

[1]) Seneca Dial. VII (de vita beat.), 17, 2: Adice, si vis, *cur trans mare possides?* (sc. überseeische Besitzungen) *cur plura* quam nosti? Apud eundem Senecam Nat. quaest. VI, extr. Moriendum est. Quando, *quid tua?* (sc. refert). Item epp. V, 11, init. *Quomodo quisque potest,* mi Lucili: tu istic habes Aetnam (sc. vitam degat vel aetatula fruatur). Longiorem quoque locum, si placet, rei illustrandae legas apud Quintil. Instit. Orat. XI sub finem; ubi ter deinceps verbo novo opus est suppleto.

vincuntur). XXXII, 3, 13: *Amputari hos ab ipsis, cum capiantur, negat Sextius diligentissimus medicinae. Quin immo parvos esse substrictosque et adhaerentes spinae, nec adimi sine vita animalis posse.* Ne hoc loco ad zeugma, quod vocant, confugiamus, monendum videtur, a Plinio saepissime omissa esse verba *dicendi narrandi affirmandi* insequente statim auctoris alicujus sententia [1]. XX, 5, 42: *utiles esse* (cepas) *praecordiis et concoctioni, inflationemque et sitim facere dixerunt. Asclepiadis schola ad colorem quoque validum profici hoc cibo* sq. sc. omisso verbo. Ibid. 9, 85: *Erasistrati schola clamat* sq. X, 35, 101: *Victum* (marem perdicum) *ajunt venerem pati, id quidem et coturnices Trogus* (sc. ait) *et gallinaceos aliquando, perdices vero a domitis feros et novos aut victos iniri promiscue.* Quare non erat, opinor, cur Janus cum Silligio l. XX, 9, 89: *Epicharmus testium et genitalium malis hanc* (brassicam) *utilissime imponi, efficacius eandem cum faba trita, item convolsis, cum ruta contra ardorem febrium et stomachi vitia, cum rutae semine ad secundas,* non erat, dico, cur doctissimi illi viri post vocabulum *trita* insererent *ait*, quamvis id facile inter *trita item* conlisu vocalium absorptum videatur. Neque illud *asserit* magis laudo, quod editt. praebent post verbum *imponi*. Nam neutro opus est, et hoc alterum alioquin prorsus abhorret ab usu Pliniano neque esse nisi glossema deprehenditur. Igitur moneo, saepissime apud Plinium omitti hujusmodi verba, par-

---

1) Cf. Madvig. § 479, b. c.

tim ubi per se facile intelliguntur, partim cum simile aliquid, ut *auctor est, suadet, censet*, aut praecessit aut statim excipit orationem. Quamquam quid loquor? Lege modo totum locum de brassica inde a § 85, et videbis ne unum quidem verbum neglectum esse, quoniam omnis sermo perstat in uno eodemque argumento. Postquam igitur incepit scriptor ab illis: *Erasistrati schola clamat* sq., pergit: *Hippocrates coeliacis et dysintericis bis coctam* (brassicam) *cum sale* (sc. affirmat prodesse, utile esse); sequitur: *Apollodorus ...... censet, Philistion* sq. Paulo post: *demonstrat* sq. deinde plures imponendi rationes de eodem remedio narrantur, novi nihil; quare etiam per indirectam orationem, ut assolet huic scriptori, sermo variatur § 88: *inlitam quoque prodesse inflationibus stomachi* et q. s. Sic denique, quemadmodum ab initio § 86, ita sub finem narrationis satis habuit auctor nomen tantum medici dixisse. Eadem ex ratione legimus ibid. § 94: *Epicharmus satis esse* sq. Sed ecce verbum non adest. § 93, etsi in alio enuntiato, antecessit illud: *Chrysippus auctor est.* Quod ipsum ad nostrum quoque locum pertinet. Clarius etiam, si placet, loquitur locus ibid. 12, 120: *Diodotus in empiricis etiam pediculos facere ocimi cibum.* Deest iterum verbum; sed, ut in superioribus, elicitur per zeugma ex § 119: *Ocimum quoque Chrysippus graviter increpuit inutile stomacho. Mox*: *addunt quidam* sq. Paulo post: *Quin immo tradunt aliqui* sq. Ut inde quivis legentium facile suppleat: *Addit Diodotus in empiricis* sq. Item 9, 103 legimus extr.: *Volneribus quoque mire prosunt* (bulbi) *per se aut, ut Damion, ex mulso,*

si quinto die solvantur. XXXI, 2, 16 sq.: *Vinum taedio venire iis qui ex Clitorio lacu biberint ait Eudoxus, et Theopompus inebriari fontibus iis quos diximus. Mucianus Andri e fonte Liberi patris ... fluere* sq. *Polyclitus expleri* sq. *Theophrastus hoc idem in Aethiopia ejusdem nominis fontem, Lycos in Tasitia ejus fontem esse* sq. *idem Ecbatanis traditur. Theopompus in Scotussa lacum esse dicit qui volneribus medetur; Juba in Trogodytis lacum insanum malefica vi appellatum ter die fieri amarum* sq.; *idem in Arabia fontem exsilire tanta vi* sq. *Theophrastus Marsyae fontem in Phrygia ad Celaenarum oppidum saxa egerere.* XV, 5, 22: *Quare saepius die capulandum, praeterea in conchas et plumbeas cortinas, aere vitiari* (sc. olivas). Ne hoc quidem loco velim statuere excidisse *condi*, sed hoc ipsum intellexerim ex § 21, ubi dicitur: *olivas condi optime, orchites et posias, vel virides in muria vel frictas in lentisco.* Et sequitur *ex cortinis in labra fundendum.* Cave etiam ne accusativo *cortinas* sq. offendaris, quippe qui proprie ita adhibitus sit apud scriptores R. R. eo sensu quo nos dicimus „Früchte einlegen, einmachen." Sic dixere Cato *lentiscum in acetum condere*, Columella *ficus in orcas* [1]). Unum propter miram, quae inest, constructionis varietatem exemplum adjecerim ex initio lib. XIV, § 5: *Postquam senator censu legi coeptus, judex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare quam census, postquam coepere orbitas in auctoritate*

---

[1]) Quam saepe vero talis accusativus ablativi loco appareat apud Plinium, infra cum de singulis casibus agam demonstrabo.

summma et potentia esse ....., *pessum ire vitae pretia* .... *ac servitute sola proficí coeptum. hanc alius alio modo et in aliis adorare.* Euge vero, quam licenter omnia! Incipitur passivo verbi genere, mox infinitivo *fieri* latente jam verbo *coepit* transitus ad activum paratur eoque continuatur sermo: *postquam coepere orbitas* sq., donec rursus subsequitur *profici coeptum*, ut in extr. activum *coepit* denuo sit supplendum § 6. Similiter variatur enuntiatum XVI, 4, 8: *Postquam vero tribuniciis seditionibus calcari ac pollui coepere* (rostratae coronae), *postquam vires ex publico in privatum agi singulisque civium quaeri et sacrosancti omnia profana facere.* Ibid. 36, 171: *Postquam varietas accessit* (tibiis) *et cantus quoque luxuria, caedi ante solstitia coeptae et fieri utiles in trimatu* sq.

II. DE ADJECTIVIS ET PRONOMINIBUS VICEM OBTINENTIBUS SUBSTANTIVI.

Proximus ab ellipsi usus, qui pariter atque illa multum facit ad breviter et adstricte loquendum, is erit, ex quo plurima vocabula tam adjectiva quam pronomina liberrime usitata videmus apud Plinium loco substantivorum. Atque de *masculino* numeri *singularis* notandum est, ejus usum nusquam fere obtinere nisi cum praepositione *ex* (cf. XXIX, 1, 22: *unum aegrum ex provincialibus*, et infra de ablativo). Nam quale est illud Senecae Dial. II, 5, 3: Malum nisi turpe nullum est, turpe autem ad honestis *occupatum* pervenire non potest,

ejus generis nihil equidem potui invenire apud Plinium, nisi quod in libris de medicina aegroti et quocunque malo infirmi hujusmodi adjectivis ad instar substantivorum positis breviter significantur, cf. XXVIII, 17, 67: *deploratum phthisicum convaluisse* (Nostrates: ein schon aufgegebener Schwindsüchtiger). Singulare etiam est, quod exstat XIX, 4, 50: *quippe etiam Superbus nuntium illum saevum atque sanguinarium filio remisit ex horto.* Contra ibid. 8, 169 de eodem argumento: *Indicio est Tarquinius Superbus, qui legatis a filio missis decutiendo papavera in horto altissima sanguinarium illud responsum hac facti ambage reddidit.* Quo majore licentia usus est scriptor in pluralibus omnis generis[1]. Cf. XIV, 1, 3: *Tanto priscorum cura fertilior* sq. XVII, 14, 102: *Timebant prisci truncum findere.* XXVIII, 2, 13: *Prisci quidem nostri* (unsere Vorfahren) *perpetuo talia prodidere* sq. XIX, 8, 159: *Unde veteres nostri nomen declinaverunt.* Ibid. §§ 156 et 168: *apud antiquos.* XX, 9, 106: *antiqui.* XXI, 3, 13: *De floribus supra dictos (?) scripsit Theophrastus apud Graecos, ex nostris autem* (von unseren Landsleuten) *inscripsere aliqui libros anthologicon* sq. Ibid. 4, 18: *Est et quae Graeca appellatur a nostris, a Graecis lychnis.* XIX, 8, 168: *Tertium genus rhoean vocant Graeci, nostri erraticum.* XXII, 14, 38: *Quidam e nostris tempore discrevere genera* sq. Mox ibid. 17, 43: *ab nostris.* XI, 45, 251: *Antiquis Graeciae in supplicando mentum attingere mos erat*[2].

---

[1]) Cf. Nägelsbach, Lat. Stil. 2. Aufl. p. 77 sq.

[2]) Quem quidem ad locum Janus quaerit: An *Graecis?* Verum cur hoc, quaeso? Nam saepius ita Plinius, cf. XII, 1, 11: *Grae-*

Proprius item in his usus Plinii, ut ejusmodi adjectivis plerumque genetivum addat partitionis seu generis. Cf. XVIII, 7, 65: *Posteros Graecorum.* Ibid. 11, 107: *Sicut etiam nunc in plurimis gentium.* Ibid. 28, 273: *Opulentissimis civium* (Perperam alii malunt *civibus*). XIX, 1, 8: *ultimique hominum existimati Morini.* XXXIII, 8, 43: *His coticulis periti, cum e vena ut lima rapuerint experimentum, protinus dicunt quantum auri sit in ea* sq. (Sunt „Sachverständige, ut apud Cic. Parad. 5: *callidi rerum aestimatores.*) XVIII, 3, 22: *peritisque Punice dandum negotium* sq. XXI, 6, 34: *Nec ignoro haec mediterraneis* (für die Bewohner des Binnenlandes) *supervacua videri posse.* XVII, 9, 49: *Transpadanis cineris usus adeo placet* sq. XVI, 31, 128: *montani* (Itali: i montagnuoli, montanari, die Gebirgsbewohner). XIII, 3, 31: *diligentissimi naturae.* XIV, 9, 82: *diligentiores.* Item XVIII, 13, 131. XIX, 8, 126. XIV, init. *noscentes.* XV, 13, 46: *eruditiores*[1]). XIV, 1, 6: *egregii* (ut viri *principes*). XII, 17, 78: *Arabia mire odores et ad exteros petit.* XVIII, 28, 275: *manifestum fiet attendentibus* (aufmerksamen Beobachtern). Similiter, ut jam monui omnibus locis, quibus de re medica sermo est, affecti quocunque morbo hujusmodi adjectivis appellantur. XXVIII, 14, 210: *Ita ut deploratos* (schon aufge-

---

ciae fabulositas. XVIII, 9, 83: *Primus antiquis Latio* (?) *cibus* sq. Cf. de his et similibus infra ad casum genetivum.

[1]) Atque haec etiam me movent, ut probatam veramque habeam Urlichsii conjecturam ad IX, 7, 16: *In qua sententia fuisse Aristotelem video et multis persuasisse doctrina insignibus* (sc. pro *indignis*, quod corruptum erasumque exstat in codd.

gebene Kranke) *sanaverint.* Itaque passim leguntur praesertim in libris de remediis haec et similia: *coeliaci et dysenterici* (XXVIII, 14, 207), *melancholici, lethargici, veternosi, hydropici.*

Sequuntur deinceps loci, in quibus *neutrum singularis numeri* conjunctum apparet cum aliquo genetivo pro substantivo usitatum[1]). XX, 12, 121: *addito aceti exiguo;* ibid. 22, 242. XXIII, 7, 131; ibid. 8, 148. XXVIII, 14, 205: *mellis exiguum;* ibid. 206. Paulo post vero: *exiguo sale addito,* si quidem editores recte viderunt. XXXIV. 18, 50: *substrato sulphuris minuto* (Strackius: „man streut etwas zerkleinten Schwefel darunter"). XXXVII, 9, 42: *nubilo macularum* (Str. „von einer Wolke von Flecken"). XXI, 4, 14: (Rosa) *sese pandit in calyces medio sui stantes.* XXXVI, 13, 19: *tonitruum terribile.*

Ille vero usus apud Plinium et aequales ejus scriptores maxima licentia vagatur, ex quo neutrum adjectivi ad instar substantivi positum aliqua *praepositione* fultum sustinetur[2]). XXXVII, 9, 40: *in contermino Arabiae.* XIX, 1, 9: *in vicino Alianis.* (Cf. supra de Ellipsi). XVI, 4, 13: *Sedendi jus in proximo senatui.* XVIII, 28, 273: *Praevisa olei caritate ex futuro* sq.[3]).

---

[1]) Cf. Nägelsbach l. l. § 23.

[2]) Cf. Nägelsb. l. l. p. 65, sq.

[3]) Quod equidem malim accipere pro substantivo quam per ellipsin interpretari, ut apud Liv. VI, 12, 8: Si quid dii vatesque eorum *in futurum* vident. Cf. Seneca, Nat. Quaest. VII, 8, 4: *in nubilum.* Ibid. *in summum, ad summum, ad constitutum* redire (ibid. 6, 2), *ad praescriptum, ex humili, ex aequo et bono* (De Benef. IV, 14, 2), *ex privato, ex publico, ex profano, ex sacro* (Ibid. VII, 27, 2),

XVIII, 28, 274: *in facili.* XXXIII, 1, 6: *in promiscuo.* Ibid.: *in recondito.* Ibid. 4, 21: *e profundo maris.* XXI, 7, 35: *e longinquo;* ibid. 36: *a longinquo.* XI, 17, 54: *ex toto*, id est, pro adverbio, ut alias *in totum* (XI, 20, 70. 25, 86, 90), ὅλως, *in plenum* (VII, 16, 73. XIII, 4, 31. IV, 12, 80. XVI, 40, 217), *in novissimum* (X, 29, 81), *non in novissimis mirabile* (XVI, 44, 243), *pro indiviso* (IX, 36, 138. XVII, 1, 1. XVIII, 7, 53), *improviso* (XVI, 32, 137). XXXVII, 4, 15: *Quae fuit conjectura experiendi rem immensi secreti.* Hoc passim etiam apud Tacitum et Suetonium legitur.

Restat, ut his adjiciam exempla, quibus quam libere *adjectiva pluralia neutro genere* adhibeantur ostendam [1]). Quorum ea frequentissima sunt, quae *locis regionibusque* significandis exhibentur. Et subest omnibus facilis et quasi tacita ellipsis *loci*, quod ipsum vocabulum additum est nonnunquam. XX, 22, 245 *in silvestri.* XVII, 11, 77: *in campestribus.* XXI, 7, 36: *in*

---

ex destinato, *ex turbido*, *ex facili*, *ex crastino* (Epp. I, 1, 2: Sic fiet, ut minus *ex crastino* pendeas, si *hodierno* manum injeceris), *ex pleno et abundanti* (De Brevit. Vit. 2, 3, 4), *ex disposito*, *ex reposito multoque* (Quaest. Nat. VI, 7, 3) *ex occulto*, *ex infinito*, *ex adventicio.* Praeterea multifariam occurunt: *in conspicuo*, *in vicino* (cf. De Clem. I, 12, 2: *in vicino* ad aedem Bellonae sedens), *in arduo*, *in conditivo* (semel id quidem, Epp. VI, 8, 4. cf. ibid. XI, 3, 2: Multum interest inter *otium et conditivum)*, *in proximo*, *in vicinum*, *in infinitum ejus* (De Benef. V, 18), *in lubrico*, (Epp. IX, 4, 10), *in illo terrarum profundo* (Nat. Quaest. III, 19, 3), *de futuro*, *ad extremum aevi* (De Clem. I, 6, 3), *exiguum aevi*, *exiguum temporis* (De brevit. vit. init.), *alieno* imminentem avaritiam (Dial. I, 6, 1.)

1) Cf. Nägelsbach l. l. § 24.

calidis, in frigidis. XIV, 2, 23: *in frigidis humidisque;* ibid. 26 (sed dativum quoque possis habere); ibid. 27: *meliores tamen algentibus locis quam calidis, humidis quam sitientibus.* XV, 1, 4: *in frigidissimis, in calidissimis.* XIII, 11, 71: *in palustribus Aegypti.* XV, 7, 32: *in Syriae maritimis.* XIII, 3, 26: *in maritimis Hispaniae.* XXXIII, 12, 55: *in mediterraneis Hispaniae* (im Innern). XIII, 4, 49: *in salsis atque sabulosis.* X, 73, 201: *Orygem perpetuo sitientia Africae generant.* XXXI, 6, 78: *Per Africae sitientia* usque ad Hammonis oraculum [1]. XVI, 16, 69: *in siccis.* XVIII, 14, 134: *Quaerit* (lupinum) *maxime sabulosa et sicca atque etiam harenosa.* Iterum XII, 28, 134: *in locis sitientibus.* XVI, 18, 74: *in plana.* Ibid. 77: *in aquosis.* Mox: *montibus planisque.* Item: *in campestribus.* Ibid. 22, 84: *in siccis macrisque;* ibid. 5, 16: *in montuosis planisque;* cf. 10, 39. 12, 60. XVIII, 5, 27: *in pestilentibus.* Ibid.: *fecundissimis;* 6, 47: *cretosis locis;* 7, 70: *montuosis utraque partibus.* XX, 5, 13: *in saxosis* XXI, 29, 175: *sabulosis, apricis*; 23, 164: *cultis nacens.* XVI, 32, 135: *in Syriae vicina.* XXXVII, 8, 33: *post aversa Indiae* (Strackius: „noch hinter den entlegenen Gegenden Indiens"); ibid. 13, 77: *exceptis*

---

[1]) Str.: „in den wasserlosen Gegenden Afrika's"; cf. Il. δ, 171: πολυδίψιον Ἄργος. Eurip. Alc. 560: ὅταν ποτ' Ἄργους διψίαν ἔλθω χθόνα. Opp. Cyn. 4, 322: διψὰς γαῖα. Plin. Secund. epp. X, 91, 2: *valde sitientis coloniae,* der an grossem Wassermangel leidenden Pflanzstadt. Memorabilis quoque locus exstat XVIII, 8, 83: Patitur (far) *frigidissimos locos et minus vel aestuosos sitientesque.*

Indiae fabulosis. XVI, 44, 248: *unumque hoc rerum putrescendo gratiam invenit.* XVI, 44, 234: *profunda mundi*[1]). II, 1, 1: *Hujus* (mundi) *extera indagare nec interest hominum nec capit humanae conjectura mentis.* Ibid. 67, 169: (Hanno) *ad extera Europae noscenda missus.* XV, 18, 77: *Quae nutrix Romuli ac Remi conditorum imperii in Lupercali prima protexit*[2]). X, 9, 26: Nam *minuta* quoque infestant[3]). Nota denique talia XXIX, 2, 9: *ordiemur a confessis* (mit Anerkanntem beginnen). XIX, 5, 69: *Scandentes* (curcubitas et cucumes) (sic!) *per parietum aspera in tectum usque.* Quamquam hoc Janus ex conjectura dedit.

Ceterum hoc exemplo transitum mihi video parari ad aliud genus adjectivorum ritu substantivi positorum cum genetivis quos *partitionis* seu generis dicimus, quo quidem usu ad exemplum poetarum graecorumque scriptorum adjectiva ejusdem generis genetivo applicantur. Fitque ita saepius in pluralibus quam cum

---

[1]) Ut apud Lucret. *inane profundum.* Plin. Sec. epp. I, 3, 4: *reliqua rerum tuarum.* Quintil. Declam. II, 3: ut pater .... *residua senectutis* alia solaretur uxore; quod quidem vocabulum etiam apud Ciceronem, deinde Suetonium ad instar substantivi.

[2]) Quod Url. ad locum interpretatus est *primordia.* Sic apud Lucretium legimus *primordia*, *corpora prima*, *prima* (I, 61), quin adeo inverso ordine metri causa *ordia prima* (IV, 28) pro *principiis rerum* sive *atomis.*

[3]) Sed ibi incerta est lectio, et fortasse rectum *minutae*, quod commendat locus ibid. 18, 42: *Vescuntur et glande in hoc genere pomisque multae, sed quae carne tantum non vivunt* sq., ut illo quoque loco *aves* malim suppleri.

casu singularis numeri. Cf. Url. ad locum II, 97, 213: *Nec unquam eodem tempore quo pridie refluunt* (maris aestus) *ancillantes s i d e r u m a v i d o trahentique secum haustu maria et assidue aliunde quam pridie exorienti* sq. Conferuntur ibi de singulari haec: Ennius in fragm. Annal. 1: *Pulchra dearum.* Vergil. Aen. IV, 576: Sequimur te, *sancte deorum.* Sall. Catil. 53: *effeta parentum* (sed ibi lectio admodum dubia). De plurali numero ex ipso Plinio: III, 1, 7: *Baetica a flumine eam mediam secante cognominata c u n c t a s p r o v i n c i a r u m ..... praecedit.* VIII, 48, 193: *L a n a r u m n i g r a e nullum colorem bibunt.* XI, 50, 265: *C a n u m d e g e n e r e s sub alvum* (caudam) *reflectunt.* Quibus laudato loco allatis exemplis ego addam: XXXIII, 6, 35: *In medicamenta quae vocant liparas a d e x c r e s c e n t i a u l c e r u m* (Str.: „bei wildem Fleisch an Geschwüren"). XXIII, 1, 18: *A d u l c e r u m m a n a n t i a* (Ibid. 4, 85: *u l c e r a m a n a n t i a*, 91: *p u t r e s c e n t i a u l c e r a).* XIX, 5, 85: *Crudos* (raphanos) *medici suadent a d c o l l i g e n d a a c r i a v i s c e r u m dandos cum sale jejunis esse.* XXII, 23, 103: *E x t e r a c o r p o r u m.* XI, 10, 23: *Fulciunt p i l a r u m i n t e r g e r i v i s.* XIX, 1, 8: *u l t i m i q u e h o m i n u m existimati Morini* [1]).

Etiam *pronomina* posita legimus pro substantivis: XI, 37, 145: *Oculus unicolor n u l l i.* Ibid. 149: *Certe n u l l i sine redundatione ejus* (cerebri) *eruitur oculus.* XXI, 1, 1: *Quando n u l l i potest facilius esse loqui quam*

---

[1]) Cf. Madvig. § 284. A. 5. Heindorf. ad Horat. Serm. II, 2, 25: *vanis rerum.* Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 58. Apud graecos scriptores similia saepius usitata reperiuntur.

rerum naturae pingere. XXXVI, 13, 19: *Impendio nulli profuturo.* XXXVII, 13, 77: *Metallis auri argenti aeris ferri, quamdin libuit exercere,* (Italia) *nulli cessit.* Ubi vocabulum *terrae* esse supplendum docemur XII, 14, 51: *Tura praeter Arabiam nullis, ac ne Arabiae quidem universae.* XVIII, 28, 279: *Alia sunt illa quae silente coelo serenisque noctibus fiunt nullo sentiente nisi cum facta sunt.* Mox ibid.: *De his nunc dicemus a nullo ante nos prodita.* X, 9, 25: *Nec capite similis illis, neque alio quam colore.* XI, 14, 34: *Alii ex nullo minus apibus relinquunt.* (Sed ibi ex anteced. facilius intelligitur *mellis genere.*) [1]) XIII, 12, 75: *Quae* (philyra) *non esset ita recurata in suo mansit amphitheatrica.* XVI, 43, 229: *Rotarum axibus ad quos lentore fraxinus sicut duritia ilex et utroque legitur ulmus* (sc. utraque de causa). Item XXXIV, 5, 12: *Illos patres Socrati cunctis ab eodem deo sapientia praelato Pythagoram praetulisse, aut tot aliis virtute Alcibiadem, aut quemquam utroque Themistocli.* Contra XXXIII, 3, 19: *Nec pondere aut facilitate materiae* (aurum) *praelatum est ceteris metallis, cum cedat per utrumque plumbo.*

---

[1]) Apud Senecam quidem, si recte memini, semper exstat *nulli*, semel tantum *nemini*, idque ipsum loco non suo (Epp. VI, 3, 5: Non continuo sibi vivit, qui *nemini*). Contra ex Haasii novissima cura legitur ibid. I, 3, 4: Utrumque vitium est et omnibus credere et *nulli;* 4, 4: *Nulli* potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. Item Nat. Quaest. VII, 4, 3: Trabes vero et faces, quae *nullo alio* inter se quam magnitudine distant sq.

III. DE CASIBUS OBLIQUIS, QUOS VOCANT.

Absolutis jam duabus partibus brachylogiae Plinianae tertiam aggredior, in qua dicendum est mihi de singulis casibus deque vario eorum et singulari usu. Atque initium fiat a genetivo.

A. DE GENETIVO.

α) Genetivus primum *qualitatis* late patet apud nostrum scriptorem miraque libertate adhibetur. VII, 39, 128: *Pretium hominis in servitio geniti maximum ad hanc diem fuit grammaticae artis Daphni*, ubi Url. explic. *grammaticae artis homini*, id est grammatico. IX, 8, 28: *Arionem citharoedicae artis*. Ibid. 17. 65: *Lutarium ex iis* (mullis) *vilissimi generis appellant*. XXV, 2, 7: *Lenaeum grammaticae artis*. XXXV, 4, 19: *Cognomina ex ea* (arte) *Pictorum traxerunt Fabii clarissimae gentis*. Ibid. 20: *Turpilium e Venetia nostrae aetatis*. XI, 25, 86: *Similiter his* (araneis) *et scorpiones terrestres vermiculos ovorum specie pariunt similiterque pereunt, pestis importuna, veneni serpentium, nisi quod* sq. II, 52, 138: *Eadem de causa frigidioris caeli*. XIV. 10, 86: *Plus quam annui usus*. XVI, 40, 201: *Abies admirationis praecipuae visa est* sq. (ein Gegenstand ganz besonderer Bewunderung). XXXV, 25: *Indicum atramentum, inexploratae adhuc inventionis mihi*.

β) *Definitivus* exstat genetivus in his: VIII, 45, 181: (Tauros vidimus) *jacentes ex humo tolli bigarumque etiam curru citato velut aurigas insistere*.

γ) Porro ad exempla genetivi *generis* seu *quantitatis* conferamus XVIII, 3, 18: *Immensumque terrarum adjectum imperio.* II, 93, 208: *Aliud causae.* XXXIII, 11, 142: *Neque aliud habuisse argenti.*

δ) *Objectivi* genetivi etiam liberius usitati exempla proposuerim haec. XXXIII, 1, 25: *Alii bracteas infarcire leviore materia, propter casum, tutius gemmarum sollicitudini putant* (quod Strackius vertit parum accurate: „aus Besorgniss wegen eines Falles"). VII, 37, 124: *suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus.* Ibid. 12, 56: *Versutus ingenii mango.* XVI, 26, 110: *In Creta insula ipso descensu Jovis speluncae.* XXXIV, 19, 35: *Callimachus semper calumniator sui* („der sich nichts zu Danke machen kann", Seyffert, Palaestra Cicer. p. 53). Ibid. 19, 21: *Apollodorum diligentissimum artis et inimicum sui judicem;* ibid. 6: *Tiberius imperiosus sui inter initia principatus* [1]). VII, 28, 104: *bis vinculorum ejus profugus,* ad exempla poetarum, velut apud Tacit. Annal. XV, 1: *Tiridates regni profugus* [2]). Singularis denique exstat genetivus objectivus, quem relationis genetivum appellaveris, VII, 45, 150: *Inde suspicio in Fabium arcanorumque proditionem, hinc uxoris et Tiberii cogitationes,* sc. de uxore et Tiberio. XXXV, 4, 10: *Alterius tabulae admiratio est* sq. (Nägelsb.

---

[1]) Cf. Madvig. § 297, Anm. 1.

[2]) Cf. apud Senecam Nat. Quaest. IV, 2, 8: *Manifestus novarum virium* Nilus sq. De Benef. VI, 28, 2: Me tempestas occupavit *portus ac praesidii dubium.* Sic etiam intellexerim apud eundem auctorem De Clem. II, 1, 8: Gentes, quae Romanum imperium incolunt quaeque juxta jacent *dubiae libertatis.*

Lat. Stil. § 18: „das Bewundernswerthe an dem zweiten Gemälde ist sq.").

ε) Memorabiles etiam sunt hi genetivi *loci*. XXXIV, 8, 68: *Quoniam Thessaliae habitaverit.* XXII, 25, 133: *Sesamoides Anticyrae nascens.* Cum quibus rarum conferre licet genetivum *possessivum* hujusmodi. XXX, 1, 2: *Cognomen diu obtinuit in nostro orbe, alienae gentis.* XXXIII, 4, 23: *Minervae templum habet Lindos, insulae Rhodiorum.*

ζ) Mirus vero *partitivus* est genetivus carens nomine regente XXVI, 1, 12: *Asclepiades quinque res maxime communium auxiliorum professus'* sq.[1]). II, 47, 121: *Tantus ille ventorum.* Ibid. 7, 14: *Quisquis est deus, si modo est alius, et quacunque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animae, totus animi, totus sui*[2]).

B. DE DATIVO.

De Dativo quidem animadvertendum est, ejus quem *ethicum* dicunt Grammatici usum latissime patere apud Plinium liberrimeque adhiberi. Qui non solum ad signi-

---

[1]) Quem ad locum Url. l. l. p. 224 affert ex Celso 2, 14: in eo volumine quod *communium auxiliorum* scripsit. Adde ex Plin. Sec. Epp. V, 17, 2: (Calpurnius Piso) recitabat καταστηρισμῶν, eruditam sane luculentamque materiam. Habes ergo inscriptionem libelli errantque editores genetivum ex appositis *materiam* sq. arbitrati pendere. Cf. Liv. I, 32: *Quarum rerum litium causarum* condixit pater patratus sq. Zumpt. § 764.

[2]) Cf. Url. l. l. p. 6. Praeterea apud Plin. Sec. Epp. V, 16, 8: *Pietatis est totus.* Liv. III, 36 sub fin.: *hominum*, non *causarum toti* erant. Seneca De Benef. VII, 26, 4: Alius *lucri totus* est.

ficandum cui quid bono aut malo sit, sed etiam contra quid valeat remedium aliquod usitatur brevissime. Itaque praesertim in libris de medicina deque remediis herbarum innumerabilia hujusmodi dativorum exempla inveneris, quibus malum seu morbus aliquis curandus significatur, ut ita adhibitum hunc casum quasi proprium esse dicamus medicorum linguae. Quare primum simplicioris illius generis dativi exempla liceat proponere, quae deinceps licentiora alia ac Plinii propria subsequantur.

α) VII, 29, 108: *Librorum Homeri* *custodiae* *detur* (sc. scrinium). XXVIII, 5, 14: *Id* *remediis* *cecinit, non* *epulis* (Str. „er macht diese Bemerkung zur Erhaltung der Gesundheit, nicht um zu Schmausereien aufzufordern"). XXIII, 1, 41: *Somno* *vero* *ac* *securitatibus* *jamdudum hoc fuit quod Homerica illa Helena ante cibum ministravit.* XXIX, 1, 21: *Non magis haec* *urbi* *timuit Cato* sq. XVIII, 29, 284: *Tria namque tempora* *fructibus* *metuebant* sq. Ibid. 33, 329: *Hic* (ventus) *olivae* *timeatur* (sic Janus). Ibid. 30, 303: *Columella et favonium ventum* *confecto* *frumento* *praedicat.* (Quamquam dubito an ablativum in hoc agnoscam.) VII, 110: *Dionysius tyrannus alias* *saevitiae* *superbiaeque* *natus* sq. XIX, 5, 93: *scilla* *medicamini* *nata* *exacuendoque* *aceto.* II, 39, 105: *Solis natura* *temperando* *intelligitur anno.* Item XIX, 8, 167. IX, 34, 105: *Quid* *mari* *cum vestibus, quid* *undis fluctibusque* *cum vellere* sq.? IX, 55, 171: *C. Hirrius, qui* *cenis triumphalibus* *Caesaris dictatoris sex milia numero murenarum mutua appendit.* (Quo loco malim *cenis* dativum intelligere, etsi alibi etiam *cenis* exstat pro *in cenis*). VIII, 27, 97: *Dictamnum*

herbam e x t r a h e n d i s s a g i t t i s *cervi monstravere* sq. XVI, 9, 35: *Vasa corbesque ac patentiora quaedam* m e s s i b u s c o n v e h e n d i s v i n d e m i i s q u e *faciunt*. Ibid. 10, 41: *Similiter abieti expetitae* n a v i g i i s. Ibid. 39, 195: *Navium* m a l i s a n t e n n i s q u e *propter levitatem praefertur abies*. Ibid. 36,158: (Harundo) *interjecta navium commissuris feruminat textus glutino tenacior* r i m i s q u e e x p l e n d i s *fidelior pice*[1]. XVII, 10, 72: *His principiis respuentem secures materiam nasci*, *indomita ponderibus immensis prela*, *arbores* v e l i s, t u r r i b u s m u r i s q u e i m p e l l e n d i s *arietes*. XIX, 2, 30: *Quanto sit in usu omnibus terris navium* a r m a m e n t i s, m a c h i n i s *aedificationum* a l i i s q u e d e s i d e r i i s *vitae* sq. Pari modo dicitur saepissime dare *potui*, XXI, 20, 148. XXII, 20, 49. (Datur *bibendum* XXI, 21, 161.) XXXVI, 6, 5: *Templum Jovis Olympii*, *ex quo Sulla* C a p i t o l i n i s a e d i b u s *advexerat columnas*. XVIII, 11, 114: *Emicant fontes Araxi oculorum* c l a r i t a t i *et volnerum* m e d i c i n a e *dentiumque* f i r m i t a t i. (Nos: gut für sq.) XVII, 9, 49: *Quod certum est* N a r b o n e n s i p r o v i n c i a e, sc. definitum ac statutum[2]). XXXIV, 4, 9: *Jam omnium municipiorum* f o r i s *statuae ornamentum esse coepere*. Huc etiam referendum erit X, 76, 208: *De aspide miraculum* P h y l a r c h o *reddatur. is enim auctor est* sq.[3]).

---

1) Contra XIII, 6, 54: Materies ei admodum lenta ac fidelis *ad vetustatem*.

2) Quocum conf. XVI, 33, 143: Quod accidit *Cyrenaicae regioni*. Ibid. 39, 199: Quod *succisae* (arbori) accidit. Contra ibid. 42, 223: Quod *in Antandro* accidit.

3) Cf. Madvig. § 241, Anm. 3.

β) Alterius deinde dativi, quem significandis morbis esse dixi, exempla haec proponam ex magna congerie. XXVIII, 7, 23: *Tertianis quartanisque efficacissimum.* Ibid. *tertianae* vel *quotidianae* vel *quartanae febri remedium quaeri.* Ibid. 8, 24: *comitialibus morbis prodest.* Igitur hoc ipsum verbum cum eo casu medicorum usui tribuemus, quemadmodum XX, 9, 100: *Serpentium ictibus imponitur.* Velut apud Plin. Sec. Epp. VII, 1, 4: *tangere*, den Puls fühlen. Ibid. 27. 6, 18: (Prodest) *canis morsui echinorumque spinis inhaerentibus: aut adversus canis rabidi morsus contraque serpentium ictus.* In quo locutionis varietatem ne neglexeris. Eodem modo dicitur *conducere* ibid. 5, 14. Item XXXVI, 27, 69: *Pestilentiae auxiliari.* XX, 9, 107: *volneribus utilis.* XXII, 22, 70: *gravitati aurium infunditur.*

γ) Tertium genus dativi constat eo, quem proprie *graecum* appellavere Grammatici, ut is casus ponatur in vicem praepositionis *a* aliarumque cum verbis generis passivi. XVI, 43, 233: *Portentosis ingeniis inventum.* XXXVI, 13, 19: *Ut externorum regum vanitas Italis superetur.* XXXII, 11, 53: *Celebres Homero vituli.* X, 15, 37: *Genera ulli non visa.* XXII, 22, 83: *bibitur jejunis.* Ibid. 87: *jejuno pota.* Ibid. 86: *Eratostheni laudata.* XVI, 26, 110: *Dicta Homero frugiperdia.* XXIX, 3, 12: *omissum Graecis.* XXXVII, 10, 60: *vocatur menui ab Indis, xanthos appellata Graecis.* XVIII, 12, 117: (Faba) *Pythagoricae sententiae damnata.* (Aliter XIV, 18, 117: Aspendios damnata *ab aris.*) Atque hoc exemplo moveor, ut XX, 20, 219: *Atriplex et silvestre est et sativum, ac-*

cusatum Pythagora, dativum corrigere malim quam cum Jano praepositionem inserere. Quamquam ne ablativus quidem ille solus per se alienus esse videtur ab usu Pliniano. (Cf. infra de ablativo absoluto 5.) Fortasse ibid. 25, 146: *Est silvestris elelisphacos dicta a Graecis* delendum est *a* utique ortum ex dittographia. XXVIII, 19, 261: *a Vergilio descriptum*, item XXII, 25, 160 firma esse videtur praepositio. Rursus legimus XXVIII, 8, 112: *existimatum Democrito.* IX, 34, 106: *Indis petuntur.* Item XXXIII, 7, 36: *Expeti Aethiopum populis.* XXXVII, 6, 23: *Indis non habitas in honore* (sardonychas). Ibid. 8, 32: *quaesitam navigantibus.* Contra XXXIV, 5, 10: *Notatum ab auctoribus.* Igitur hoc in universum pro certo videmur posse constituere, Plinio, quo est breviter dicendi studio, longe saepius omissam esse illam praepositionem quam usurpatam.

δ) Quartum dativi genus illud esse constituerim, quum verbum *esse* inservit significationi possessionis. Quod quidem genus non ego cum Url. l. c. p. 100 raro inveniri dixerim apud Plinium, immo passim leguntur hujusmodi dativi. XI, 37, 131: *Canities homini tantum et equo, sed homini semper* sq. X, 22, 51: *Et anseri vigil cura.* Ibid. 3, 6. 7. Notandum vero videtur hoc exemplum XI, 29, 101: *Quorundam* (insectorum) *extremi pedes longiores foris curvantur, ut locustis.* VII, 39, 128: *Pretium hominis in servitio geniti maximum ..... fuit grammaticae artis Daphni* sq. Quamquam etiam Δάφνος nomen fuit, possis tamen illud Daphni pro dativo accipere, si varietatem casus in superiore respexeris exemplo. Praeterea cum vocabulo *laudis* et similibus semper, ni fallor, dativus a

Plinio conjunctus est, velut X, 3, 6. VIII, 45, 176. XXII, 22, 81. 88.

ε) Graecos iterum secutus est Plinius brevitate dicendi in eo genere dativi, quod quintum licet statuere quodque illustratur his exemplis. XXXV, 4, 14: *M. Aufidius tutelae Capitolio redemptor.* XVI, 10, 41: *Piceae rami .... similiter abieti expetitae navigiis*[1].

ζ) Denique dativus ad exemplum poetarum usitatus reperitur, qui motum seu viam demonstrat. VIII, 45, 162: *Sarmatae longinquo acturi inedia pridie praeparant* sq. sc. *in longinquum*[2].

C. DE ACCUSATIVO.

Accusativum ad casum, etsi non tam multa quam ad reliquos, tamen quaedam aeque insolita ceteris scriptoribus Latinis ac mira annotanda mihi esse existimo. Ac primum

α) *Graecum* accusativum quem praecipue vocant Grammatici, ejus admodum rara sunt exempla in Naturali Historia. XVI, 6, 22: *Quercus in orbem comosa*

---

1) Cum hoc altero loco cf. Plin. Sec. Epp. X, 84, 1: *Interpretationi tuae idem* existimo. Horat. Ep. ad Pis. 467: *Idem* facit *occidenti.* Lucret. III, 1038: *Eadem aliis* sopitu' *quiete* est. Ovid. Am. I, 4, 1: Epulas *nobis* aditurus *easdem.* Justin. II, 4: In *eundem ipsis* morem sq. Sed haec satis nota. Attamen miror quod vix alterum hujus usus exemplnm apud Nostrum liceat investigare.

2) Seneca Epp. V, 12, 1: Quod nos *alio* tendentes *alio* trahit et *eo*, unde recedere cupimus, impellit. Idem IX, 3, 32. *Illo* pergendum est, aliunde *alio* deferri, licebit *uno* vadere XI, 1, 1, similia.

alasque ramorum crebro cavata. Graecae item linguae ad exempla haec sunt efficta admirabili brevitate XVIII, 30, 299: *Culmum saxosis locis cum inaruit, baculo frangunt sub strata animalium*, sc. frangunt fractumque substernunt animalibus. Recte quidem sic Janus scripsit. Cur vero idem doctus vir ibid. 35, 363: *Quaeque* (aves) *in arboribus habitant fugitantes in nidis suis* lacunam censeat adesse post participium *fugitantes* et excidisse *latitantes*, non intelligo, sicut ad X, 54, 152: *Remedium contra tonitrus clavus ferreus sub stramine positus* sq. haud scio an praeferenda sit contra illum virum altera lectio *sub stramina*. Ad illam quidem conjecturam minime confugerim apud Plinium, quippe cui talia a studio brevitatis profecta non sint abjudicanda. Accedit, quod superiore loco ablativus propter inclinationem ad verbum praegressum *habitandi* facile intelligitur [1]. Praeterea de accusativo illo apud Plin. cf. XV, 17, 64: *In pediculos collocant ea.* Ibid.: *Eosque in medullam sabuci abditos obruunt.* Ibid. 66: *In puteos cisternasve mergi.*

β) Deinde singularis etiam inest brevitas dicendi multis in accusativis aliqua *praepositione* nixis. Atque huc pertinet notabilis illa ac Plinii propria constructio verbi *petendi*, ex qua hujus verbi duplices potestates, quarum una vim obtinet quaerendi arcessendique, altera eundi et proficiscendi, miscentur in unam. Rem attigit jam Urlichsius l. l. p. 128 ad librum IX, 35, 106:

---

[1]) Cf. Madvig. § 230, A. 3. Demosth. in Phil. I, 40: κἂν ἑτέρωσε πατάξῃ τις, ἐκεῖσέ εἰσιν αἱ χεῖρες, quem ad locum Reuterus praeter alia affert in editione sua ex Soph. Aj. 80: ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ τοῦτον ἐς δόμους μένειν.

Indis quoque **in** *insulas* **petuntur** *et admodum paucas*, eamque his illustravit exemplis: III, 23, 142: *Petunt in eam* (coloniam) *jura* sq. XII, 17, 78: *Petunt in Elymaeos arborem* sq. Ibid. 79. XIV, 4, 52: *Non in Rubrum litus Indicumve merces petitas.* XVI, 10, 37: *Colle in quem vimina petebantur.* V, 1, 2. IX, 54, 169: *In extremam Italiam petere Brundisium ostreas.* XXX, 1, 9: *Voluminibus Dardani in sepulcrum ejus petitis.* XXXIV, 16, 156. XXXVI, 1, 2. Quibus addere liceat a me quoque collecta XII, 7, 29. Ibid. 17, 80: *Postea Characem peti coeptum ac regna Parthorum.* Quo quidem loco docemur illum usum mixtamque constructionem valere nonnisi in mercatura veterum significanda proprieque haec exempla intelligenda esse de comitatibus sive armatis quae fiunt per illas regiones mercatorum peregrinationibus. Ibid. 1, 2: *Vestes ad Seras peti, unionem in Rubri maris profunda.* Ibid. 15, 66: *Petuntque eam* (murram) *etiam ad Trogodytas.* Ibid. 17, 78: *Peregrinos ipsa* (Arabia) *mire odores et ad exteros petit.* XXXVI, 6, 9: *Ut ad Aethiopas usque peteretur .... in Indos, quo margaritas quoque peti* sq. [1])

---

1) His item exemplis adductus accusativum existimo scribendum esse XIII, 13, 88: Curve Homerus *in ipsa illa Lycia* Bellerophonti codicillos *datos*, non epistolas tradiderit? Lineolam supra litteras a neglectam esse suspicor ab editoribus vel codd. scriptoribus, ut rescribendum videatur *in ipsam illam Lyciam* codicillos *datos*. Proetum quidem illum, quo tempore dati traduntur codicilli, restitutum in regnum constat regnasse Tirynthe, cf. Hom. Il. VI, 168: Πέμπε δέ μιν (ὁ Προῖτος) Λυκίηνδε, πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρά.

γ) Praeterea praepositio *ad* exstat usitata morbis significandis, contra quos aliquod remedium valeat, quo quidem munere casum dativum alias vel solum fungi apud Plinium paulo ante demonstravi. XX, 14, 155: *Bibitur* *ad serpentium ictus* *decoctum*, *ad scorpionum* *in vino tritum* sq. In quo quod alteri membro deest objectum, nihil offensionis habet, si conferas XXXII, 5, 17: *Privatim* *contra presteris morsum* *sarda prodest. imponuntur salsamenta et* *contra canis rabiosi* (sc. morsum). XXXVI, 5, 6: *Candidioribus repertis nuper* *in Lunensium lapicidinis.* *Sed in Pariorum* *memorabile proditur* sq. His et similibus permotus praepropere egisse Janum arbitror, cum XX. 14, 145: *Eadem* (mentastri folia) *inlinuntur bibunturque* *adversus scorpionum* *cum sale, oleo et aceto, item* *adversus scolopendras et serpentium ictus* sq. post vocabulum *scorpionum* excidisse ratus *ictus* per conjecturam in textum recepit. Primum ne necessaria quidem ea vox est, quoniam loco illo de eadem re agitur uno tenore. Dein si faciamus ea opus esse, alteram potius vocem post *serpentium* censebimus vitio translatam esse una linea postea et ad superiorem referendam genetivum, quam repetitam sic inserendam esse. Porro cf. XXI, 20, 148: *Ad jocinerum vitia, item pulmonum, volvae dolores* sq. Ibid. 151. XXVIII, 9, 137. 138. XIII, 6, 54: *Materies lenta et fidelis ad vetustatem.*

Memorabilis quoque vis inest huic praepositioni XXII, 6, 11: *Praetextatum immolasse* *ad tibicinem* *foculo posito.* XXXI, 2, 11: *In Boeotia* *ad Trophonium deum*, ubi aliquis exspectaverit *ad Trophonii dei* (Zumpt. § 296.). Illa vero notiora XI, 23, 74:

ad hiemem. XVI, 4, 7: *ad hoc aevi;* ibid. 40, 200. XXV, 2, 17: *ad hosce annos*. XI, 37, 149: *Veterina tantum quaedam ad crementa lunae morbos sentiunt.* (Quem ad locum Url. l. l. p. 168 animadvertit: „*crementa* sehr selten für *incrementa*“. Immo hoc erit corrigendum, quum videamus apud Plinium compositum vocabulum ubique exstare. Neque enim usquam praeterea vetustior illa forma Varroni usitata occurrit, sed mirum quantum consentiunt MSS. in voce *incrementi* XI, 24, 84. 38, 223. 48, 260. XV, 17, 64. XVI, 7, 27. 25, 100. 36, 169. XVII, 22, 176. XIX, 5, 83. 8, 125. 131. XXI, 14, 80. Accedit quod etiam nostro loco teste Jano R[2] praebet *incrementa*.)

d) Aliquotiens etiam praepositionis *per* notabilis usus occurrit. VIII, 3, 9: *Mirum in plerisque animalium scire quare petantur*, *sed per cuncta quid caveant*, sc. in cunctis animalibus. XIV, 1, 13: (Vites vineam faciunt) *improbo reptatu pampinorumque per parietum damna discursu atria media complentes.* De conjectura quidem sic Janus scripsit, verum admodum probabili. XVIII, 16, 144: *A Medis advecta per bella Persarum.* XXI, 3, 7: *Ad certamina in circo per ludos* sq.

D. DE ABLATIVO.

Jam vero casus *ablativus* mirum quam late patet in Pliniano dicendi genere, ut pretium sit operae, quot quibusque modis, quam libere adhibeatur in Naturali Historia pluribus demonstrare. Quare etsi difficile est certis finibus hunc usum circumscribere, ne quis infinitum dixerit, genera quaedem ejus ante constituamus ac prout ea vel maxime accedere ad leges grammaticas

vel peculiaria videantur ac Plinii propria suo quaeque loco videamus.

α) *Ablativus consequentiae* sive *absolutus*.

Habes genus, quod unum omnium liberrime vagatur per omnes libros, notatum nuper ab Urlichsio in Chrestomathia Plin. pp. 3. 12. 7. 150. 267. 287. saepius. Igitur totum genus quinque maxime partibus potest dixerni,

1. primum ut ejusmodi ablativus enuntiato *postponatur* vel *interseratur* loco sententiae enuntiationi adjectae vel cum condicione vel loco relativi ad aliquam rem indicandam sive momenti levioris sive significandi temporis causa seu addendae causae rationique interjecta sententia, longiore plerumque complexu verborum, quam qualem videmus in prioris Latini sermonis integritate.

2. Deinde ut hoc ipso ablativo quae antecesserat sententia statim *refutetur* vel novi aliquid subjiciatur vel *haesitationes dubitationesque* moveantur, diversis sic saepe continuatis, quibus cum enuntiato ipso nihil plane sit commune. Quod genus et ipsum, ut ait Madvigius (Grammat. § 428, Anm. 2), antiquioribus minime usitatum, addita plerumque aliqua particula, ut *quasi, quippe, tamquam* vel simili apud Plinium deprehenditur.

3. Tum ut enuntiatum totum ablativus aliquis absolutus ita concludat, ut fervidiore modo dicendi vehementiaque quasi arcessita lectoris animum interpellet adjecta *quaestione* totam sententiam vocaturus in dubium [1]) vel *exclamatione* aliqua magnifica, ne dicam

[1]) Cf. Url. p. 220 extr.

grandiloqua, sententiam, quo altius in pectora descendat, studiose aucturus. Quod quidem genus confusi cum aliis longiusque prolati ablativi vel maxime proprium dicamus Pliniani sermonis.

4. Denique ut ea maxime, quae primo ac secundo loco genera posui, longiore etiam serie verborum atque ordine licentiore *varia permixta*que videamus aliis ablativis iisque diversis ab ipsis. Quae compositio aspera et praefracta praecipue secundae est aetatis sermonis Latini, quam argenteam vocant [1]).

5. His accedunt innumerabiles ablativi significando *tempori* multo liberius quam apud ceteros scriptores promiscue usitati, verbo vel participio plerumque omisso. Qui quidem ut breviter adhibiti quasi proxime absunt ab ablativis loci, ita propter usum absolutum ac singularem hoc imprimis loco mihi fuerunt ponendi.

Jam uniuscujusque generis exempla maxime digna memoratu haec sunt:

1. *Ablativus absolutus per subsequens enuntiatum.*

XV, 30, 134: *Deponitur* (laurus) ..... *idque non quia perpetuo viret nec quia pacifera est, praeferenda utroque olea, sed quia* sq. XXI, 8, 48: *A Graecis tamen repertos* (quosdam flores) *quis dubitet non aliter Italia usurpante nomina illorum?* (sc. quod nisi esset ita, Itali non usurparent graeca illorum nomina). XXXIII, 1, 28: *Argumento est consuetudo volgi, ad sponsiones etiamnum anulo exsiliente.* XXXIV, 8, 92: *Ob id* (Callimachus) *catatexitechnus appellatus memorabili exemplo adhibendi et curae mo-*

---

1) Cf. Madvig. § 248, Anm. 5. Url. l. l. p. 150.

dum. XXXV, 10, 91: *Quae anadyomene vocatur, versibus graecis tali opere dum laudatur victo sed illustrato* sq. Referuntur hujusmodi ablativi etiam ad *logicum* quod dicimus *subjectum* enuntiati, ut in libro X, 29, 81: *Lusciniis diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus sine intermissu cantus densante se frondium germine, non in novissimum digna miratu ave.* XXXIII, init.: *Metalla nunc ipsaeque opes et rerum pretia dicentur, tellurem intus exquirente cura multiplici modo.* XXX, 29, extr.: *Ex istis confessa .... ponemus, sicut et lethargum olfactoriis excitari: inter ea fortassis mustelae testiculis inveteratis, aut jocinere usto.* XXVIII, 14, extr. *Ultimoque probro manus in cibis triumphali seni dejiciebatur, vel in Capitolio epulanti, pudenda re servo suo facilius parere quam sibi.* XI, 29, 105: *Italiam ex Africa maxime coortae* (locustae) *infestant, saepe populo Romano ad Sibyllina coacto remedia confugere inopiae metu.* XXII, 6, 11: *Eam* (coronam) *capiti suo proscriptione sua ipse detraxit, tanto paucioribus civium servatis quam postea occisis.* II, 7, 25: *In quo sponte naturae benignitas sufficit, uno quidem vel praeferendo cunctis bonis* sq. XVIII, 6, 35: *Sex domini semissem Africae possidebant, cum interfecit eos Nero princeps, non fraudando magnitudine hac quoque sua Cn. Pompeio, qui nunquam agrum mercatus est conterminum.* XI, 53, 283: *Ultra undecimum plerosque certum est mori, esuriendi semper inexplebili aviditate uni animalium homini.* XXII, 6, 15: *Etiam irrisui sumus ista commentantes atque frivoli operis arguimur, magno quambuam immensi laboris solatio sperni cum*

rerum natura, quam sq. XXXIII, 53, med.: *Tum enim haec emendi Romae in auctionibus regiis verecundia exempta est, urbis anno sexcentesimo vigesimo secundo, mediis quinquaginta septem annis erudita civitate amare etiam, non solum admirari opulentiam externam, immenso et Achaicae victoriae momento ad impellendos mores* sq. XXXVII, 4: ...... *pugnae ejus effigie signasse; vulgato Stilonis Praeconini sale, quidnam fuisse facturum eum, si* sq [1]).

2. *Ablativus absolutus adjecta particula* etc.

Lib. I, 1, 3: *Ut totidem rerum naturas credi oporteret, aut .... totidem tamen soles .... et innumerabilia sidera, quasi non eadèm quaestione semper in termino cogitationis occursura desiderio finis alicujus aut* sq. VIII, 45, 180: ..... *actusque in exsilium tamquam colono suo interempto.* XVIII, 10, 97: *Pistura non omnium facilis, quippe Etruria spicam farris tosti pisente pilo praeferrato.* XXIX, 1, 29: *Nec deerat materiae pompa, si quidquam aliud intueri liberet, quam fidem operis. Quippe inter prima proditis etiam ex cinere phoenicis nidoque medicinis, ceu vero id certum esset atque non fabulosum.* XXXIV, 14, 142: *Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur, quippe insula etiam Italiae*

---

[1]) Tetigit quidem hoc genus ablativi absoluti Wannowskius in libello suo, sed exempla ab eo allata singula fere nescio quo pacto incerta codd. lectione nituntur. Quae praeterea p. 32 pauca citavit, ea nobis infra tractanda erunt, cum de Gerundio apud Plinium usitatissimo dicemus. Etiam quod secundo tertioque loco genus posuimus, prorsus ille incuria omisit.

Ilva gignente. XVII, 28, 267: *Quamquam a Catone proditis contra luxata membra jungenda harundinum fissurae.* XXVI, 1, 4: *Aliqua gigni repente vitia terrarum in parte certa membrisque hominum certis vel aetatibus aut etiam fortunis, tamquam malo eligente haec in pueris grassari, illa in adultis, haec proceres sentire, illa pauperes.*

3. *Ablativus absolutus cum exclamatione* etc.

Lib. IX, 17, 68: *Mullum LXXX librarum in mari Rubro captum Licinius Mucianus prodidit, quanti mercatura eum luxuria suburbanis litoribus inventum?* XVIII, 2, 7: *Bina tunc jugera populo Romano satis erant, nullique majorem modum attribuit, quo servorum paulo ante principis Neronis contento hujus spatii viridariis?* XIX, 1, 24: *Velis forum inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent, quantum mutatis moribus Catonis censorii, qui sternendum quoque forum muricibus censuerat!* XIX, 4, 52: *Ex horto plebei macellum, quanto innocentiore victu!* XI, 24, 82: *Age firmitas, quando rumpentibus ventis!* (sc. raro vel nunquam) *qua pulverum mole degravante!* XXX, 1, 15: *Ad haec non opes ei defuere, non vires, non discentis ingenium, quae non alia patiente mundo.* XXXIII, prooem. 3: *Mens ad inane evolans reputet quae deinde futura sit finis saeculis omnibus exhauriendi eam: quousque penetratura avaritia!* XXIX, 1, 24: *Mithridatium antidotum ex rebus LIV componitur, interim nullo pondere aequali et quarundam rerum sexagesima denarii unius imperata, quo deorum, per fidem, ista monstrante?* XXXIII, 52, 145: *Rotundus . . . quingena-*

riam lancem habuit, cui fabricandae officina prius exaedificata fuerat, et comites ejus octo ad CCL libras, quaeso, ut quam multi eas conservi ejus inferrent aut quibus coenantibus?[1]) XXVIII, 7, 86: *Resegmina unguium .... ante solis ortum alienae januae affigi jubent ad remedia in his morbis, quanta vanitate, si falsum est, quanta vero noxa, si transferunt morbos!*

4. *Genus varium atque mixtum* habes: X, 20, 51: *Et anseri vigil cura Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus.* XI, 37, 148: ..... *Ut habili mixtura et accipiatur circumjecto candore lux et temperato repercussu non obstrepat.* XXXIII, 3, 48: *Sed a nummo prima origine avaritiae foenore excogitata quaestuosaque segnitia, nec paulatim exarsit rabie quadam non jam avaritia sed fames auri, utpote cum* sq. Quo de enuntiato mire confuso cf. Url. l. l. p. 287. Cf. longiorem locum XXVIII, 2, 15: *Cum in Tarpeio fodientes delubro fundamenta caput humanum invenissent, missis ob id ad se legatis, ... transferre temptarit scipione determinata prius templi imagine in solo ante se ..... constantissima annalium adfirmatione transiturum fuisse fatum in Etruriam* sq. VII, 37, 124: *Magna et Critobulo fama est extracta Philippi regis*

---

[1]) Quod quidem propter exclamationem cum ceteris velim comparari. Namque optime, opinor, emphaticam vim hujus generis demonstrat. Ceterum *at* quoque graviter ita Plinius adhibet verbo vel participio addito. XXIX, 1, 18: *De exsilio vero non nisi die XLV electis viris datur tabella. At de judice ipso quales in consilium eunt, statim occisuri?* Cf. infra de parenthesi.

oculo sagitta et citra deformitatem oris curata orbitate luminis, summa autem Asclepiadi Prusiensi condita nova secta, spretis legatis et pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione qua vinum aegris mederetur, relato e funere homine et conservato, sed maxime sponsione facta cum fortuna sq. XXVI, 1, 15: *Magna auctoritate nec minore fama, cum occurrisset ignoto funeri, relato homine ab rogo atque servato* sq. VIII, 16, 54: *Casus rationem docuit ..... pastoris e Gaetulis sago contra ingruentis* (leonis) *impetum objecto, quod spectaculum in arenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi injectu operato capite* sq. VII, 40, 131: *Quid quod iste calculi candore illo laudato die originem mali habuit?* XXXV, 8, 85: *Feruntque reprehensum* (Apellem) *a sutore quod in crepidis una pauciores intus fuisset ansas, eodem postero die superbo emendatione pristinae admonitionis cavillante circa crus indignatum prospexisse, denuntiantem ne supra crepidam sutor judicaret* sq. Ibid. 89: *Quo* (Ptolemaeo) *regnante Alexandriam vi tempestatis expulsus subornato fraude aemulorum plano regio invitatus ad coenam venit* sq. VIII, 16, 44: *Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas noscendi delegataque hac commentatione Aristoteli* sq.[1]. XXXIII, 2, 6: *Cui* (Polycrati Sami tyranno) *dilectus ille anulus in mare abjectus capto relatus est pisce, ipso circiter CCXXX annum urbis nostrae interfecto* (Nos: und der ermordet wurde sq).

---

[1]) Cf. Url. p. 98.

Cum his et similibus, si lubet, conferas aliam sermonis duritiem, cum duo *participia* simul ponuntur. (Cf. supra de ellipsi verborum). II, 9, 43: *Endymion, ob id amore ejus captus fama traditus.* IX, 8, 20: *Nam qui fame conciti fugientem in vada ima persecuti piscem diutius spiritum continuere* (delphini) sq.

5. Multa et mira, quae pertinent ad genus quintum quod supra posui, passim apud Plinium leguntur. VIII, 42, 162: *Forma equorum .... pulcherrime quidem Vergilio vate absoluta est.* XX, 20, 216: *Atriplex et silvestre et sativum, accusatum Pythagora*[1]. IX, 30, 89: *Non sunt praetereunda et L. Lucullo proconsule Baeticae comperta de polypis* sq. XVIII, 35, 361: *Delphini tranquillo mari lascivientes flatum ex qua veniunt parte* (praesagiunt), *item spargentes aquam iidem* (?) *turbato tranquillitatem*[2]. XI, 26, 92: *Gentes vescuntur iis ad orientem, etiam Parthi opibus abundantibus.* Quamquam hic etiam causae ablativus haberi possit, de quo infra. II, 26, 96: *Quale Mutinensibus malis visum est.* XXXIII, 4, 82: *Direpta ea est* (statua) *Antonii Parthicis rebus.* Ibid. 2, 34: *Catilinianis rebus.* XXVIII, 9, 146: *publicis sacris.* XVI, 34, 144: *sollemnibus sacris.* Contra XXXIII, 3, 39: *in sacris.* Item XXI, 2, 4: *in sacris certaminibus*, probante Urlichsio. Et ibid. 11:

---

[1]) Sed hoc loco incerta lectio, cf. supra de dativo.

[2]) Quo loco satis apparet ex *turbato* illud *tranquillo mari* non esse intelligendum ablativum loci. Est ergo, ut cum Platone dicam (Theaetet. p. 153, C.), νηνεμίας τε καὶ γαλήνης οὔσης. Cf. Hom. Il. ε, 522 (νεφέλας) Κρονίων νηνεμίης ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν.

in Saliorum sacris. (Apud Graecos: *Διονυσίοις*, *Παναθηναίοις*, *τραγῳδοῖς καινοῖς*, et similia). XXXIII, 5, 90: *Neronis principis spectaculis*[1]. Nota vero vel tironibus ista: *ludo*, *ludis* (*Apollinaribus ludis* XIX, 2, 23), *lustro*, *triumpho*, *funere*, *munere funebri*, *consulatu*, *principatu*, *censura* (XXXIII, 3, 57), quamquam alias etiam *in aedilitate*, *in tribunatu*, *in consulatu*, sed, quod mihi non negligendum videtur, litigantibus semper MSS. Cf. XV, 18, 78: *gladiatorio munere.* VIII, 1, 20: *Pompeji quoque altero consulatu.* VII, 8, 46: *toto principatu suo.* Ibid. 28, 104: *stipendiis duobus, plurimis stipendiis.* XXI, 11, 69: *Vita longissima violae albae trimatu*[2]. XV, 18, 74: *Cum clamaret* (Cato) *omni senatu Carthaginem delendam* (in jeder Sitzung). Majorem etiam audaciam et novitatem videmus XXVIII, 2, 23: *sternutamentis salutamus* (beim Niesen, *πταρόντος τινός*); sic saepissime quidem *austro*, *aquilone*, *imbro* (*ὕοντος*), *siccitate*, *caelo sereno*, atque deinde *sereno*, *nubilo* (XI, 24, 84)[3], *siccitatibus* (Theophrast. *ἐν τοῖς αὐχμοῖς*). X, 64, 186: *Proventus eorum siccitatibus.* XV, 3, 9: *Fit* (olivae sanies) *ex aquis*, *ideo siccitatibus minima*, *riguis copiosa.* XXXI, 3, 50: *Siccitatibus riget.* Sic XVII, 2, 12: *Frigora*

---

[1]) Seneca Epp. VIII, 1, 26: *Secundo naumachiae spectaculo.* Lud. de morte Claud. 9, 3: *proximo munere.*

[2]) Cf. Plin. Sec. Epp. V, 4, 2: *Alio senatu* Vicentini sine advocato intraverunt (Sitzung des Senats, saepe sic apud eundem). Ibid. VII, 24, 6: *proximis sacerdotalibus ludis.* IV, 25, 1: *proximis comitiis* sq.

[3]) Etiam apud Senecam (Nat. Quaest. I, 1, 15. 3, 3: Non fit enim umquam arcus nisi *nubilo*.

quae *septentrionibus* *aut* *praeposteris* *fiunt* *horis*, ut ablativum recte interpretere, cf. seq. Alias etiam dicitur: *Austris flantibus*, *Etesiis flantibus* (XXXI, 5, 56. XXXVII, 5, 65), *primo favonio*, *aestu*. XXXIV, 9, 96: *Aes omne frigore magno melius fundi*. II, 34, 100: *Solis occasu*. XXVIII, 16, 225: *prima aut secunda luna*. XXXIV, 6, 27: *Sullae introitu*. XVIII, 5, 31: *Romulum periisse solis defectione*. XXXIV, 3, 14: *Thebarum expugnatione* (τῶν Θηβῶν ἁλουσῶν). XVII, 1, 5: *Caecina Largo* . . . . . *crebro juventa nostra eas in domo sua ostentante*. X, 55, 154: *Julia Augusta prima sua juventa* sq. XXVIII, 6, 64: *Contra lippitudinem retro aures fricare prodest et lacrimosis oculis frontem*. (Quominus enim dativum habeas, obstat *frontem*, cf. supra de de dativo.) XXXIV, 7, 36: *in scena* . . . . . *temporario theatro* (Strackius: „auf der Bühne eines für ganz kurze Zeit aufgeschlagenen Theaters") [1]. VIII, 46, 184: *Necant quaesituri luctu alium quem substituant* [2]. XV, 3, 10: *Quod ubi cura multisve imbribus accidit*. In hoc etiam causae ablativum possis agnoscere.

Jam sequitur hinc aliud genus absoluti ablativi etiam liberius usitati in libris Naturalis Historiae, quos

---

[1]) Referendum huc erit etiam illud *condito aevo* VII, 43, 141, ubi editores contra codd. auctoritatem scripserunt praeter necessitatem, ut videtur, *ab condito aevo*.

[2]) Cf. de his ablativis adverbiorum loco adhibitis Madvig. § 257, Anm. 2. Quare secundum exempla quae in superioribus attuli haec jure habeam suspecta: XXVII, 2, 17: *Hibernis primum in imbribus, dein germinationem antecedentibus*. Praesertim propter antecedens *primum*. XVIII, 31, 315: *in aestiva siccitate*.

quidem ablativos multum hodieque vexant editores varieque tentant amovere, qui tamen proprii habendi sunt eruntque sermonis Pliniani proximeque absunt ab iis, quos in superioribus contuli. XXII, 6, 15: *Frivoli operis arguimur, magno quamquam immensi laboris solatio sperni cum rerum natura* sq. III, init.: *Nunc de partibus, quamquam infinitum id quoque existimatur nec temere sine aliqua reprehensione tractatum, haud ullo in genere venia justiore, si modo minime mirum est* sq. VII, 51, 172: *Antipater Sidonius poeta omnibus annis uno die tantum natali corripiebatur febre et eo consumptus est satis longa senecta*, scilicet propter eo ne hoc quidem loco dubius sum de ablativo posteriore. Mirum etiam quod legimus XXXIV, 14, 138: *Proxime indicari debent metalla ferri, optimo pessimoque vitae instrumento* (nisi vero haec ad sequentia referenda erunt). Similiter XXXIII, 7: 118: *Celeberrimo Sisaponensi regione in Baetica miniario metallo vectigalibus populi Romani.* IX, 35, 108: *Itaque epurgantur a peritis, miro ipso tantum eas caelo gaudere* sq. XI, 25, 87: *Apollodorus auctor est in novem genera descriptis* (scorpionibus) *per colores maxime, supervacuo, quoniam non est scire.* Ibid. 17, 58: *Impetum in proximas faciunt* (apes) *rapinae proposito* [1]. XXII, 5, 10: *Hic Decius postea se consul Imperioso collega pro victoria devovit.* Et vides in his ex analogia linguae graecae semper quasi tacite aliquod participium sub-

---

[1]) Neque ego offendor loco XVI, 36, 169: *Quod notatum apud Chaeroniam infausto Atheniensium*, quamvis arrideat conjectura *malo;* lacunam vero ibi in seqq. demum jure suspicati esse videntur editores.

audiri. XII, 8, 33: *Spina lacrima pretiosa, murrae similis, accessu anxio propter aculeos.* VII, 28, 104: *Stipendiis duobus ter et viciens volneratus est* (M. Sergius), *ob id neutra manu, neutro pede satis utilis, uno tantum servo, plurimis postea stipendiis debilis miles*[1]). VIII, 46, 185: *Cum se proripuit* (Apis) *in coetus, incedit summoto*[2]). XVI, 3, 7: *Postquam civilium bellorum profano meritum coepit videri* sq.[3]).

---

[1]) Jam ad hunc locum Url. l. l. p. 61 negat haec ita posita posse intelligi. Et esse turbatam contendit seriem verborum ac structuram eo usque, ut participium *custoditus*, quod sequitur, his ipsis cum verbis conjungendum sit, conjunctaque ita infra simul ponenda esse. Equidem illa sese recte habere existimo primum ex ipsa sententia. Sic enim verba sensui favent illorum: *plurimis postea stipendiis*, quamvis uno tantum servo, sc. ipsi serviente, ἑνὸς μόνου ὑπάρχοντος, δουλεύοντος. Cur enim *uno tantum servo custodiretur* vir in membrorum debilitate etiamnum acerrimus dictus a scriptore? Deinde ablativo tali participio quale exspectaveris destituto nolim offendi, nimirum propter usum Plinianum, ex quo hujusmodi vocabula non raro omissa sunt. Quem quidem usum pluribus deinceps illustrasse mihi videor exemplis.

[2]) Url. ad locum contulit ex Livio XXVIII., 27: *summoto* incederunt, addens suis verbis „wofür auch *in summoto* stehen konnte.“ Mihi vero persuasum non est, nam longe alienum illud est a praepositione vultque aperte intelligi *nachdem Platz gemacht war*. Cf. apud eundem auctorem XXV, 3 extr.: Publicani per *vacuum in summoto* locum cuneo irruperunt. Et hoc loco quis ferat praepositionem cum statim *locum* excipiat? Orta illa quidem est per dittographiam, delenda est. Scilicet qua parte summotum erat irruperunt per vacuum sq. Cf. etiam XLV, 29: *summoto aditus.* Et apud Senecam Epp. 94 sub fin.: Non est, quod feliciorem eum judices, *cui summovetur*, quam quem lictor semita dejicit.

[3]) Url. confert Tacit. Annal. I, 65: *lubrico paludum.* Noster quoque eo vocabulo ita usus est XXIX. init. *ancepsque lubricum* esse

Eadem vero ablativi ratione, quam indicavi, saepe etiam *adverbium* aliquod additum est, quod adjectivi vicem obtineat. Quod ipsum ceteroquin multum confert Pliniano breviter dicendi generi. Rem primus, quantum sciam, accuratius exposuit Nägelsbach (Lat. Stil. 2. Aufl. p. 22.) docens, quemadmodum ceteris quidem casibus adjecta adverbia munere fungantur adjectivorum, ut in his: *Ministeria invicem* (Liv. III, 6). *Achaici itemque ex Asia* (οἱ ἐκ τῆς Ἀσίας). *Philosophiae de moribus* (τῆς περὶ τῶν ἠθῶν). Atque in hoc ipso mirum quam brevis est sermo Plinii et adstrictus. XIX, 1, 4: Quae *Gades ad Herculis columnas* septimo die Ostiam adferat (τὰ Γάδειρα τὰ ἐπὶ ταῖς Ἡρακλέους στήλαις). Scilicet hac ratione cogebantur scriptores Latini compensare quodammodo patrii sermonis egestatem, qua careret articulo [1]. XXI, 7, 42: *Cilicium* (odoramentum) *maxime laudatur atque e septentrio-*

---

rerum omnium novarum sq. (Nostrates: auf das Glatteis gehen, et similia). Plin. Secund. Epp. III, 3, 4: Cui (adolescenti) *in hoc lubrico aetatis* non praeceptor modo, sed custos etiam rectorque quaerendus est. Atque ita saepius dicebant, quoniam deficiebat vox *lubricitatis*. Cf. apud Tacit. Annal. VI, 49: donec minor filius *lubricum juventae* exiret. Ibid. *lubricum adolescentiae*. (XIII, 2: *lubricam aetatem.*) Histor. I, 79: *lubrico itinerum* adempta equorum pernicitate.

[1]) Eadem de causa mihi non probatur sententia Urlichsii [Cf. Programma Acad. Wirceburg. 1857. p. 28.] ad lib. XXXV, 96: Fecit et *Neoptolemum ex equo adversus Persas*, Archelaum cum uxore et filia sq., qua ex sententia post vocabulum *equo* participium aliquod intercidisse conjecit velut *pugnantem*, *dimicantem*. Quemadmodum enim Plinianum videri debet *Neoptolemum ex equo* dici (τὸν ἀφ' ἵππου, zu Pferd), ita potest in illo *adversus Persas* inesse propter ipsam praepositionis vim *im Kampfe mit* sq. ut nostra lingua dicimus *vor dem Feinde* et similia.

nalibus (*καὶ τὸ ἀπὸ τῶν πρὸς ἄρκτον*). Cf. etiam quae paulo post de praepositione *ex* pluribus exponam. XV, 14, 50: *ne quis id ambitu valuisse claritatis e familia putet* sq. Ibid. 7, 31: (Pissinum) *probatum maxime e Bruttia* (*τὸ ἐκ τῶν Βρουττίων*). XI, 26, 92: *Gentes vescuntur iis ad orientem* (*οἱ πρὸς ἕω*) [1]. XIII, 11, 73: *Neque aliis usus est quam inde funibus rex Antigonus in navalibus rebus.* XII, 23, 107: *Aethiopiae subjecta Africa hammoniaci lacrima stillat in harenis suis, inde nomine etiam Hammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor* sq. sc. petito, indito [2]).

β) *Ablativus omissa praepositione varie positus.*

1. *Ablativus loci.* Primum licentius quam apud ceteros scriptores usitatum legimus ablativum casum *loci* significandi causa: VII, 2, 24: *Subsolanis Indorum montibus.* XIV, 6, 60: *Gignitur non procul a Timavo (?) fonte saxeo colle* sq. XVI, 39, 197: *Alpibus Apenninoque laudatissimae, in Gallia, Juribus ac monte Vosego* sq. Contra XVIII, 11, 114:

---

1) Quampropter ad locum II, 97, 212: Aestus maris accedere et reciprocare maxime mirum, pluribus quidem modis, *verum causa in sola lunaque*, assentior Urlichsio, qui vocabulum *causa* ablativum esse declaravit; nam quominus nominativum omisso verbo *est* vel simili habeas, prohiberis eodem usu illo Pliniano. Intelligendum potius quasi participium nescio quale, *posita*, *sita*, *latente*, quod identidem indicavi.

2) Cf. apud Senecam De Benef. III, 9, 2: Beneficium vocas dedisse potentis populi civitatem, *in quatuordecim* deduxisse sq. (εἰς τοὺς τέσσαρας καὶ δέκα); eadem ellipsis Epp. V, 3, 2: multis *quatuordecim* clausi sunt.

In *colle Leucogaeo appellato*, nisi vero propter antecedentem syllabam vocabuli Neapo*lim* suspectam mavis delere praepositionem ibi et XXI, 6, 31: *In Coryco monte, dein Lyciae Olympo, mox Centuripino Siciliae.* XVI, 16, 71: *Buxus Pyrenaeis ac Cytoriis montibus plurima et Berecyntio tractu* [1]. XII, 9, 37: *sicco litore.* IX, 17, 63: *Italiae litore.* Ibid. 18, 68: *suburbanis litoribus.* VIII, 25, 89: (Crocodilus) *terra pariter ac flumine infestum.* Velut *terra marique.* XIX, 1, 22: *Primum classibus Indo amne navigantis* sq. X, 35, 110: *Quid retia amne praetenta profuere Antonio* sq.? Neque vero cum editoribus hunc ego vexaverim locum. XI, 16, 43: *Tepidiore tractu.* XVI, 32, 138: *eodem tractu.* XXXVI, 25, 186: *tractu tepente.* XXIX, 1, 12: *Venisse Romam Peloponneso* sq. XVIII, 35, 357: *caelo cadentes.* XI, 41, 238: *Balnearum etiam solio.* XXVIII, 16, 225: *Testes sale asservati;* ibid. 228; ibid. 20, 264. XXI, 14. 84: *Sub diu siccant sole lunaque.* (Quamquam aliis locis etiam *in sole)* [2]. XVII, 25, 243: *Inventum Sibyllinis libris.* Ne suspicere excidisse praepositionem post *inventum*, cf. XXXIII, 3, 58: *septimo volumine.* XXVIII, 2, 14: *L. Piso primo annalium auctor est* sq. XXII, 24, 136: *uno volumine.* XXXIV, 8, 19: *compositis voluminibus.* Item XXXI, 1, 3. II,

---

[1]) Cf. Martial. Epigr. VII, 73: *Esquiliis* domus est, domus est tibi *colle* Dianae.

[2]) Sic etiam recte intelligi potest secundum codd. VIII, 42, 164: *Equarum libido exstinguitur juba tonsis*, ubi Janus nuper scripsit *juba tonsa.*

12, 53 [1]. XXXIII, 4, 82: *Scitumque narratur veteranorum unius Bononiae hospitali divi Augusti cena, cum interrogatus esset* sq. (Sed XXIX, 4, 58: *in cenis deum.)* XVIII, 35, 359: *Item maris ipsius tranquillo sonitus spumaeve* sq. [2]. XI, 23, 78: *fictilibusque vasis .... nutriri.* Ut alias apud Nostrum dicitur *cadis* condere et similia. Quamquam etiam IX, 34, 111: *Multo deinde obruta sale in vasis fictilibus* sq. Ex omni vero quam contulimus congerie locorum longe plures carent praepositione. XXXIV, 18, 50: *patinis fictilibus.* XXXIII, 55, 157: *parvulis potoriis* sq. XIII, 2, 19: *plumbeis vasis.* XV, 17, 60: *cistisque vitilibus condi;* ibid. 63. 66. XXII, 22, 87: *in vini Falerni heminis tribus ...... cyathis singulis pota* (sic saepissime, ut nos dicimus „maassweise"). XIV, 1, 16: *Ante eum Raeticis prior mensa erat e villis (?) Veroniensium agro.* Ibid. 6, 61: *In palustribus populetis sinu Amyclano.* Jam est intelligere ex his exemplis multo saepius omitti Plinio praepositionem quam adhiberi, si qua vocabuli *appositio* nominis explicandi causa accedat. Cf. XIV, 4, 49: *In Campania rure Liternino.* XVI, 43, 238: *in Caphyis* (si Janum sequimur) *Arcadiae luco.* XVII, 24, 233: *Aliae* (vites) *in septentrionalibus, ut Ponto, Phry-*

1) Cf. Seneca De Benef. III, 23, 2: Claudius Quadrigarius *in duodevicesimo* annalium tradit sq.

2) Huc etiam referendum quod Url. l. l. p. 7 monuit: II, 7, 15: *Itaque nomina alia aliis gentibus et numina in iisdem innumerabilia invenimus*, ne quis intelligat *nomina alia aliis esse gentibus*, sc. pro dativo, quem quidem usum pronominis vix reperias apud Plinium, si recte vidi.

gia sq. Ibid. 26, 250: *In Sulmonense* (sic!) *Italiae agro, pago Fabiano.* XXI, 13, 77: *In eodem Ponti situ, gente Sannorum* [1]).

2. *Ablativus temporis.* Sequebantur hoc loco exempla ea omnia, quibus quam libere Plinius ablativo casu omissa praepositione usus sit *tempori* significando demonstrari possit, nisi jam supra de absoluto ablativo et de quinto quidem genere pluribus dixissem. Igitur satis erit haec addidisse: VII, 13, 58: *Neronis principis successione.* Ibid. 48, 158: *A Magno Pompejo magni theatri dedicatione.* VIII, 1, 20: *Pompeji quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis* sq. X, 29, 63: *Olorum morte narratur flebilis cantus.* XVI, 33, 140: *Metae demum adspectu.* XXVIII, 6, 60: *Capita autem aperiri adspectu magistratuum non venerationis causa jussere* sq. (beim Anblick.)

3. *Ablativus causae.* Denique videamus aliquot ablativos Pliniani sermonis omissa praepositione usitatos, qui sunt vel significandae *causae* vel *modi rationisque* aut *instrumenti.* Quod ipsum genus non raro in causa est, quare sermo Plinianus multifariam in angustum coactus ipsaque brevitate sua paulo obscurior videatur [2]). II, 5, 15: *Ut portionibus coleret quisque*

[1]) Reperiuntur item in his mire composita, qualia sunt: XV, 28, 115: *In Aegypto et Euphrate,* breviter pro *circa Euphratem.* Quae vero Wannowskius p. 33, § 6. attulit appositionum exempla, ea mihi omnino non quadrare ad rem videntur, sed potius referenda esse ad liberiorem usum ablativi, qualem quidem in superioribus significavi pluribus exemplorumque multitudine illustravi.

[2]) Cf. apud Wannowskium l. l. p. 30, § 3: *Ubi cum homine delphini societate piscantur,* sc. *una cum hominibus; portione* pro *ad portionem.*

quo maxime indigeret (quod Url. l. l. p. 7 vertit „theilweise"). X, 22, 62: *Honos iis* (ciconiis) *serpentium* ***exitio*** *tantus ut* sq. sc. *propter exitium*[1]). XXXIII, 7, 38: *Trojanis temporibus rubrica in honore erat, Homero teste, qui naves* ***ea*** *commendat.* XVIII, 2, 13: ***Desidiae probro.*** Singulares porro ablativos *instrumenti* legimus VIII, 40, 144: *Qui Cascellium jus civile docuit* ***asturcone*** *e suburbano redeuntem*[2]). VII, 30, 110: ***Quadrigis albis*** sq XXV, 2, 7: *Pompejus ..... transferre ea* ***sermone nostro*** *libertum suum Lenaeum grammaticae artis jussit.* VIII, 40, 94: *Quatuor menses hiemis semper* ***inedia*** *transmittere in specu* (id animal dicitur). Ibid. 17, 62: *Panthera et tigris macularum* ***varietate*** *spectatur.* XXXV, 3, 20: *Postea non est spectata* ***honestis manibus*** (ars) („ist nicht von vornehmen Händen geübt worden" Strack.). XXXVII, 68: ***Candidis radicibus*** *spectatur* sq. XII, 26, 127: *Laudatur* ***candore fusco ac se***[3]). XXXIV, 6, 26: *Illos patres Socrati cunctis ab eodem deo* ***sapientia*** *praelato Pythagoram praetulisse aut tot aliis* ***virtute*** *Alcibiaden et quemquam* ***utroque*** *Themistocli.* X, 23, 63: ***Ut arbitror aliquot experimentis.*** XII, 9, 37: ***Adparetque rerum argumentis*** sq. XVIII, 7, 72: *Sicut Atheniensium* ***ritu*** *Menandro auctore adparet.* XXVIII, 6, 59: *Idque compertum tradunt* ***Alcmena*** *Herculem* ***pariente.*** Ibid. 9, 148: ***suis*** *quisque dicetur* ***effectibus.*** XXXI, 2, 15:

---

[1]) De vocabulo *exitii* cf. etiam XI, 29, 106: Earum (locustarum) *exitio.*

[2]) Ut alias *equo vehi* dicebant, cf. Madvig. § 274.

[3]) Ita quidem cod. *Mon.* Janus e conjectura: *candor ejus coacti.* Nescio quid lateat in *ac se*, sed ablativo certe velim patrocinari.

Juba in Trogodytis lacum (tradit), *insanum malefica vi appellatum.* XVI, 40, 216: *Ubi cedro Numidica trabes durant* [1]). XVII, 16, 118: *Emplastratio et ipsa inoculatione nata videri potest.* VIII, 16, 42: *leone conceptis.* XVIII, 1, 1: *benigna tellure* proveniunt. Quamquam exstant loci, ubi praepositio e codd. consensu et auctoritate defenditur. XVI, 37, 174: *Quae ut nec corio fiant eodem* sq. sed incerta codd. lectione. XXXVI, 5, 41: *Alii cornu cogerent bibere* (Cupidines). Ibid. 1, 2: *Ut bibatur glacie.* VII, 2, 12: *Ossibus humanorum capitum bibere.* Ibid. 27: *De permutatione sexus annua vice diximus.* XXVIII, 16, 228: (Febres) *certo dierum numero redeunt* [2]).

γ) *De Ablativo ex praepositione pendente.*

Quamvis multis verbis dixerim de ablativo, restant tamen nonnulla et ea Pliniani sermonis propria, de quibus mihi deinceps exponendum est. Neque enim in superioribus de iis ablativis ulla dicta sunt, quae cum una alterave praepositione ponantur. Igitur propter usum late patentem agam

1 *De Praepositione in.* In qua primum quidem erit memorandum, eam cum ablativo aliquotiens conjunctam exstare, ubi accusativum exspectares ex ora-

---

1) S. hoc loco praebet *e cedro*, velut ibid. § 214: valvas esse *e cupresso*, sed id ipsum ibi et § 283 mihi suspectum. Aliud est quod legimus XXXVI, § 102: *basilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem*, de quo mox paulo.

2) Seneca De Benef. I, 3, 7: Poetam, apud quem praecingantur et *spissis aut Phryxianis* prodeant.

tione consueta [1]). XXXVI, 9, 68: *Hic* (obeliscus) *fuit in Arsinoeo positus a rege supra dicto, munus amoris in conjuge eademque sorore Arsinoe.* XVIII, 35, 363: *Quaeque* (aves) *in arboribus habitant fugitantes in nidis suis.* (Cf. supra de accusativo.) XV, 17, 64: *in usu diluentes cretam.* Alias etiam *in usum*, ut XVI, 5, 15: *in panis usum;* cf. XX, 1, 3: *ad magnos mortalium usus.* Contra XVI, 9, 35: *In magno usu agrestium.* Quae quidem omnino comparanda sunt cum iis, quae supra de supplendo et quasi tacite omisso aliquo participio demonstravi, quaeque etiam paulo postea de studio varietatis in dicendo suggeram. Sic breviter nec sine negligentia quadam scripta exstant: XI, 37, 141: (Oculi) *conditi, quos clarissime cernere, sicut in colore caprinos*, sc. quod attinet ad colorem. XVI, 8, 32: *In conchyli mentione tradidimus*, sc. supra cum dicebamus de conchylio. XXIX, 3, 12: *In magna Galliarum fama* [2]). Item XXVIII, 8, 27: *In maxima admiratione posuerunt.* XXV, 5, 11: *Homerus multus alias in admiratione Circae* sq. XXVIII, 19, 260: *In tanta persuasione* [3]). XXXVII, 2, 11: *In tanta orbis ignorantia.* Sic ubique sua est vis praepositioni, ut XV, 30, 137: *Ex ea* (silva) *triumphans postea Caesar laurum in manu tenuit coro-*

---

[1]) Cf. Madvig. § 230, Anm. 1.

[2]) Cf. Zumpt. § 316.

[3]) Cui quidem dicendi modo comparare licet, quae supra de genetivo attuleram ex XVI, 40, 201: *Abies admirationis praecipuae visa est* sq., et similia. Item XIX, 8, 141: *Sabellico* (brassicae generi) *usque in admirationem crispa sunt folia* sq.

namque **capite** *gessit ac deinde imperatores Caesares cuncti* sq. [1]).

In *oppidorum* nominibus animadvertendum est praepositionem *in* pariter atque *ab* et *ex* plerumque additam esse; ut exstat *ab Athenis* VII, 20, 84 *(von Athen aus, von Athen her)*, ita XVI, 32, 133: *in Philippis* (contra ibid. *Stagiris*). XIII, 1, 6: *in Tarso.* XIX, 6, 104: *in Isso et Sardibus.* XVI, 32, 137: *in Panticapaeo urbe.* Idque etiam fit terrae regionisve adjecta appellatione. XIII, 1, 5: *in Solis Ciliciae*; ibid. 6, 54: *in Damasco Syriae* (cf. XV, 13, 43: *Damascena a Syriae Damasco cognominata*). XV, 19, 82: *in Ruspina Africae urbe.* XVIII, 7, 80: *in Hispaniae Carthagine.* (Contra ibid. 30, 305: *Olynthi ac Cerinthi Euboeae.* XVI, 40, 216: *in Hispania Sagunti.* XX, 18, 199: *in Hispania Bavili*, ubi docti viri *Bilbili* proponunt; verum videtur ex usu Pliniano: *in Hispaniae Bilbili.* Adeoque accedente appositione cum vocabulis *urbe*, *oppido*, *colonia* addi solet praepositio [2]). Quo magis equidem miror, cur contra usum illum Janus in libro XVIII, 12, 122: *Nascitur* (faba) *et in Syria Ciliciaque et in Torone Chalcidis lacu*, genetivum *Toronae* scripserit. Scilicet hunc genetivum legi meminerat apud Livium (XXXI, 45: superato *Toronae* promontorio). At quomodo, quaeso, deinde non aegre feras alterum gene-

[1]) Quem ad locum Url. l. l. p. 199. de praepositione: „wenn mehr Gewicht auf das Verweilen des Gegenstandes in der Hand als auf das Festhalten gelegt wird, wie XXIV, 47: *virgam in manu tenentibus.*"

[2]) Cf. Url. l. l. p. 303. cum allatis exemplis.

tivum *Chalcidis* loco adjectivi positum? Jam hoc erit corrigere scribendi genus Plinianum, non emendare codd. Etenim plurima ostendunt exempla *in* ita poni cum vocabulo *oppidi* vel simili. Neque ablativo *lacu* offendetur, opinor, qui paullulum animadverterit illum casum saepissime cum verbis *nascendi*, *faciendi*, similibus apparere in libris Nat. Hist. (cf. supra). Igitur uno genetivo *Chalcidis* hoc loco simus contenti teneamusque, quod exstat in MSS. *in Torone Chalcidis lacu* (sc. *περὶ Τορώνην τῆς Χαλκιδικῆς*, Theophr., *ἐπὶ Τορώνην τὴν Χαλκιδικήν*, Thucyd. IV, 110). Quin aliam quoque causam addiderim, quare repugnandum sit illi conjecturae. Quum constet *duas* fuisse Toronae nomine urbes, unam Chalcidicam, Macedoniae alteram, necesse fuit accuratius locum designari. Aut dicendum erat Plinio: *in Toronae Chalcidicae lacu* (cf. XVIII, 18, 170: *Babyloniae Seleuciae*, ubi quivis facile intelligit cur adjectivo sit usus), ut praepositionem conjungamus cum substantivo *lacu* (et occurrit illud adjectivum ibid. 30, 305: *Chalcidica* creta sq. cf. locos e Thucyd. et Theophr. allatos), aut scribendum: *in Torone Chalcidis*, ita ut ne genetivum cum insequenti lacu nectamus, quod etiam abunde suadent exempla supra collata. Quid ergo? Censeo Jani conjecturam prorsus abhorrere ab usu Pliniano. Denique ne quis ablativo adjecto *lacu* offendatur, conf. praeterea: XVI, 44, 238: *Alteram* (platanum Agamemnonis manu satam) *in Caphyis Arcadiae luco.* XIX, 4, 63: *in Mauretania Lixi oppidi aestuario.* XXXI, 2, 10: *in Lusis Arcadiae quodam fonte.*

Longe autem difficillima vel post Jani curam manet quaestio de praepositione *in* addita vocabulo *loci*,

adjectivo *toto*, similibus. Incredibile enim est dictu, quot quantaeque varietates usus exhibeantur. In hoc vero licentiam istam et libidinem, ut ita dicam, variandi Plinio vindicandam esse persuadere mihi non potui. Quippe quem in omni elocutionis varietate videamus sibi constare praesertim in particulis suique semper esse similem. At nunc editores modo (ut in uno consistam exemplo) scripsere *quibusdam locis*, modo *in quibusdam locis*, qua de re vehementer adhuc dubito. Neque vero nunc ego loquor de temporis ablativo cum illa praepositione juncto (velut II, 24, 92: *in nostro aevo*; ibid. 26, 95: *in aevo suo*; X, 6, 19: *in nostro aevo*; ibid. 50, 141. XVII, 25, 245. VIII, 14, 37: *in Punicis bellis)*, quod ipsum quidem non sine quadam vi fieri monent Grammatici [1]), sed de nimia illorum incuria rei nunquam sibi constante, ne in locorum quidem significatione. Quamquam alterius etiam generis exemplorum, quae temporis sunt, si ea eximas pro suspectis, quibus syllaba *um* praecedit (ut in illo X, 6, 19: Umbricius haruspic*um in nostro* aevo peritissimus), vix unum alterumve firmum et sedis suae certum manebit. Quotiens enim litterularum illarum concursione errores manifesti orti sint operariorum currente manu scribentium, exploratum habebit quicunque vel unum evolverit codicem vetustum. Igitur quum in Jani novissima cura nunc legamus *suo loco*, nunc *in suo* loco, modo *toto orbe*, modo *in toto orbe*, idque nullo sensus apparente discrimine, rursus *certo loco*, dein *in certo loco*, aegre ferenda videtur tanta ista inconstantia, nedum Plinii propria esse. Ut res se habet,

---

[1]) Madvig. § 276, Anm. 1.

permultis locis in verba scriptoris brevitatis loquendi alioquin studiosissimi praepositionem operarum inscitia perperam irrepsisse mihi persuasum est. Ceterum quum nullum adhuc mihi contigerit inspicere Plinianum codicem manuscriptum, vinctas dem manus est necesse et verbum non amplius addam.

2. *De Praepositione a.* Deinde *a* praepositione frequenter ac singulariter usus est Plinius, ut idem valeat ac *post*, vel *statim*, *confestim ab aliqua re* (Zumpt. p. 305). VII, 55, 188: *a morte.* X, 3, 15: *a meridiano tempore.* Ibid. 77, 211: *a vino et a cibis proxima.* XI, 26, 92: *a coitu.* Ibid. 37, 210: *a partu.* XXII, 22, 87: *a balineo.* Ibid. 89: *a potu.* Ibid. 23, 100: *a balineis.* XXIII, 1, 50: *a somno.* Ibid. 1, 52: *vinum utile esse ab armorum equitandive lassitudine.* Ibid. 2, 62: *si quis jejunus a balineis id bibat.* VIII, 51, 209: (Adhibetur ars jecori anserum) *fico arida saginatis, a satie necatis.* (Ita Janus pro *saginatis* ac *satie*, quod est in codd.) XXVI, 8, 70: *Ficos a cibo sumsisse melius* (unmittelbar nach der Mahlzeit). VII, 44, 144: *a limine ipso mortis revocatus alieno beneficio postea vixit, bonis inde etiam consecratis a' damno suo*[1]). VIII, 45, 176: *In nostro orbe Epiroticis* (bubus) *laus maxima a Pyrrhi, ut ferunt, jam inde regis cura.* XXXV, 9, 58: *Voltum ab antiquo rigore variare.*

---

1) Sic Url. quidem l. l. p. 78. Contra Janus: *a damnato suo* cum codd. (Cf. Url. Vindic. Plinian. I, p. 129, ut illud mecum praeferas.) Superest alius locus X, 63, 178: *Propria in eo genere* (Laconicarum) *maribus labores salacitas*, ubi litteram *s* perperam duplicatam esse apparet. Broterus jam: *labore;* sed verum est sine dubio, quod corrector aliquis viderat, *a labore.*

Accedit alius hujus praepositionis usus etiam liberior: XI, 37, 189: *M. Marcello circa mortem*, *cum periit ab Hannibale*, *defuit* sq. (Plane ut graece dicitur ἀποθανεῖν ὑπό τινος). XXVI, 7, 21: *Pulmonibus et quos ab his phthisis tentat.* (Strack.: „welche an einer von da ausgehenden Schwindsucht leiden")[1]).

3. *De Praepositione ex.* Proximum ab his locum sibi sumpserit praepositio *ex* varie posita magnaque cum brevitate *partitionis* causa. In quo mirum videatur, Plinio ita per partitionem hanc solam praepositionem adhiberi, *de* non item[2]). XI, 52, 274: *auctor e severissimis.* VIII, 16, 54: *pastoris e Gaetulis.* XVIII, 7, 75: *Hippocrates e clarissimis medicinae scientia.* Ibid. 28, 274: *Sextius e Romanis sapientiae adsectatoribns.* VIII, 42, 158: *Centaretum e Galatis.* IX, 30, 89: *Trebius Niger e comitibus ejus.* VII, 12, 53: *Antiocho regi Syriae e plebe nomine Artemo in tantum similis fuit* sq. Ibid.: *Vibius quidam e plebe.* XIX, 6, 113: *Menander e Graecis auctor est* sq. Vel etiam cum solo adjectivo, ut XXI, 7, 42: *Cilicium* (odoramentum) *atque e septentrionalibus.* Ibid. 21, 153: *Simus e medicis.* XVII, 1, 5: *Caecina Largo e proceribus* sq. XXIX, 1, 4: *Prodicus Selymbriae natus e discipulis ejus.* Ibid. 12: *Cassius Hemina ex antiquissimis auctor est primum e medicis venisse Romam Peloponneso Archa-*

---

[1]) Cf. Zumpt. § 304, b. Ibid. *a radice* et similia. Plin. Sec. Epp. IV, 22, 3: Sed hoc *a Maurico* novum non est (von Seiten, auf Seiten des Mauricus nichts Unerwartetes). Seneca Epp. II, 2, 11: Cui (eloquentiae) *ab omnibus artibus* etiam apud pessimos honor est

[2]) Cf. Zumpt. § 308.

gathum sq. Ibid. 8: *unum aegrum ex provincialibus*. Ibid. 3, 12: *equitem Romanum* e *Vecontiis* sq. XXXI, 2, 7: *Qui fuit e libertis ejus*[1]). Illa demonstrant ampliore in usu praepositionis *ex* alienum hoc sensu a Pliniano sermone esse *de*.

Sequuntur alia de singulari usu hujus praepositionis. XXXV, 96: *Neoptolemum ex equo* (de quo cf. supra de absoluto ablat. extr.). XVI, 4, 7: *M. Varrone e piraticis bellis dante* (sc. rostratam coronam) *Magno Pompejo, itemque M. Agrippa tribuente Caesare e Siculis*[2]). Eodemque sensu etiam *de* apud Plinium legitur: XV, 29, 125: *triumphans de Sabinis Postumius* sq. Paulo post: *excepto M. Crasso, qui de fugitivis et Spartaco laurea coronatus incessit* (sc. triumphans de sq.). Ibid. 126: *Papirium Masonem qui primus in monte Albano triumphavit de Corsis* sq. Paulo aliter XVI, 4, 14: *Sex* (frondeas coronas accepit) *Capitolinus, is quidem et de duce Servilio. Africanus de patre accipere noluit apud Trebiam* (sc. servato patre, propter patrem ex hostibus conservatum). XXXIII, 11, 50: (Africanus) *cum de Poenis triumpharet*. Praeterea notandum e in accuratiore colorum descriptione, ut XXVII, 10, 60: *Xanthos appellata graecis, e fulvo candicans* (Strack.: „gelblich weiss", sc. quod apud Sueton. dicitur *subflavum*, apud ipsum Plinium XXVII, 8, 61. 12, 94: *subcandidum*.) XXXVI, 102: *Basilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem*.

---

[1]) Plin. Sec. Epp. III, 7, 2: *minorem e liberis duobus* amisit. Seneca Epp. XIII, 2, 16: Chelidon, *unus ex Cleopatrae mollibus*.

[2]) Atque hunc usum Grammaticis nostris video adhuc esse omissum; est velut dicebant veteres *triumphare ex bellis transalpinis*, *ex Macedonia*, similia, Graeci posterioris aevi θριαμβεύειν ἀπό τινος.

4. *De Praepositione* **sub**. Reliquum est, ut mentionem adjiciam praepositionis *sub*, quae non minus quam superiores illae singulariter usitata reperitur a Plinio de significando maxime tempore deque ratione rerum referendarum ad aetatem principum clarorumque in civitate virorum. VIII, 48, 195: *Sub Lucilio poeta.* XXII, 6, 11: *Primum pilum is capessens sub Catulo* sq. (sc. ὑπὸ τῷ Κατ., στρατηγοῦντος τοῦ Κατ.). X, 65, 185: *Quamquam sub auctore Aristotele et Alexandri Magni militibus.* II, 70, 178: *Sub divo Augusto* [1]).

IV. DE PECULIARI QUADAM VI NUMERORUM.

Ab iis, quae de casibus obliquis separatim habebam dicere, ad alium progrediar usum satis memorabilem Naturalem Historiam tractantibus, quo quidem demonstrando nunc ad sola substantiva spectemus. Haec enim saepissime apud Plinium sensu quasi latiore ac liberiore usurpantur sive, ut hodieque dicunt Grammatici, praegnanti, ita ut modo unum alterumve substantivum generis *abstracti* vicem obtineat *concreti*, modo contrarias partes sibi sumat, idque tam in *singulari* numero quam *plurali*, denique ceu commune quoddam nomen sensu *collectivo*, quem dicunt, adhibeatur [2]).

---

[1]) Cf. supra de ablativo *principatu Neronis* et similia. Apud Senecam De Benef. III, 26, 1: *Sub Tiberio Caesare.* Ibid. 27, 1. VII, 5, 1: *Sub optimo rege.* Et in Plin. Sec. Epp. III, 7, 8: *Sub Nerone.* Ibid. 9, 18: Qui tribunus cohortis *sub Classico* fuerat. Ibid. 7, 7: *Sub quo* (Caesare); 11: *Sub illo;* 17, 6. 19, 2: *Sub eodem procuratore.* Ibid. IV, 9, 1: *Sub Vespasiano.*

[2]) Cf. Nägelsb. Lat. Stil. § 11 p. 40.

A. DE SINGULARI NUMERO.

α) Ac primum *collectiva* ejus generis nomina comparent haec: *Homo*, velut VIII, 2, 5: *Plenisque homine tricliniis accubitum iere* sq. *Eques*, ibid. 7, 21: *Equiti loca addens*[1]. IX, 36, 127: *Distinguit ab equite curiam* (sc. latus clavus).

β) Deinde *abstracta* pro *concretis* posita legimus VIII, 16, 45: *Medioque clarissimi regum omnium desiderio* sq.[2]. XI, 37, 148: *Ad cognata desideria sua tendunt*. XXXV, 11, 135: *In utroque desiderio*. VIII, 16, 46: *Capiente aviditate* sq. XXI, 3, 12: *Inductam custodiam bibere jussit* (Cleopatra) *illico exspirantem* (die eingetretene Leibwache, sc. de uno milite, ne intellexeris collectivo sensu, quo poetis usurpatur illa vox). Saepissime vero ea ratione usus est Noster in vocabulo *vitae*, ut sit pro *hominibus qui vivunt*. VIII, 16, 48: *Non vita decreverit* sq. XI, extr.: *In omni vita*. XXVIII, 1, 6: *Credo, ne vita tui oblivisceretur*. Ibid. 4, 35: *Recognoscat vita*. Ibid. 8, 118: *Vitae utilissimum*. XIX, prooem. 4: *Audax vita* sq. VII, 2, 23: *Venatu et aucupio vesci*. X, 5, 18: *Venatus adgerentem* (aquilam). VIII, 16, 58: *Venatus adgerendo*. Crebro etiam ita usitatur *malum* (alio sensu cf. infra de parenthesi), velut VIII, 25, 89: *Croco-*

---

1) Sc. ordini equestri. Quod quidem vocabulum, quoad sciam, apud neminem praeterea nisi poetam ita usurpatur. Cf. ἡ ἵππος = τὸ ἱππικόν, quamquam hoc de militantibus dicitur.

2) Quem ad locum Url. l. l. p. 98 contulit ex Cic. Epp. ad Fam. XIV, 2: Hem, mea lux, *meum desiderium* sq. Velut Graeci πόθον dicebant et similia.

dilum, *quadripes malum*, eine Landplage, ein schädliches Thier. XI, 25, 88: *Peregrinis malis implevere* (sc. Psylli) *Italiam* sq. Ibid. 29, 106: *Tot orbis partibus vagatur id malum* (sc. locustae). XXX, 2, 6: *Violare naturam eam* (sc. mare, dieses Element). XXXV, 11, 121: *Eoque terrore aves siluisse* sq. (sc. Schreckbild, est nostrum Vogelscheuche quod dicimus). Cum quibus cf. praeterea *acies* pro *oculis* sive *oculorum acie* X, 3, 10. XXV, 9, 97. XXXVII, 5, 63 [1]).

γ) Sunt alia et ea innumerabilia, quae aequalibus illorum temporum scriptoribus usurpantur e *poetarum* lingua arcessita. Ut primo quoque arrepto exemplo rem absolvam, cf. XI, 37, 148: *Alites*. Item XIX, 1, 10. *Aeetae suboles* pro filio (XXXIII, 3, 52.), *familia* pro gente (VII, 41, 133. XVIII, 3, 10.), *Martio exemplo* pro bellico (XXXV, 3, 13.), quemadmodum jam Livius aliique dixere *Martem ancipitem* et similia. Cf. etiam: *Aquatilium dote* [2]), *silentio*

---

[1]) Apud Senecam De Ira III, 9, 2: *Infirma acies.* De Benef. IV, 27, 3: *Aciem* Lynceo *similem* sq. Nat. Quaest. I, 14, 3: *Acies nostra;* ibid. 15, 6. VII, 30, 4: *Acies humana.* Epp. XV, 2, 20 *Imbecillam aciem;* ibid. *Improbo lumini.* Apud eundem scriptorem etiam *luminum acies* dicitur. Quae quidem e Senecae scriptis largius arcessere non esset in animo, nisi animadverterem fere ubique in vocabulis deligendis, componendis non item, illius ingressum esse vestigia nostrum auctorem. Quod quam late pateat, intelligent periti, si modo in postremo exemplo allato reputaverint tria illa vocabula *acies*, *improbus*, *lumina* his argenteae aetatis, quam vocant, scriptoribus vindicanda esse ac propria.

[2]) XVIII, 16, 144. XIX, 8, 140: Teneritas *in dote* ei sq. Plin. Sec. Epp. I, 24, 5: Praediolum istud quod commendatur *his dotibus*, vorzügliche Eigenschaften. Ibid. II, 17, 29: *Tot tantisque dotibus.*

legum (XXXVI, 2, 5.), *manes* pro cadavere (XI, 37, 148. XVI, 44, 234.), *domitis frenis* (VIII, 42, 158.) *avidissimum odium* (XVII, 1, 3.), absolute positum ut *avidae legiones* apud Tacit. Ann. I, 51. Vel ut in uno exemplo paullulum consistam, frequentissimus est in illius saeculi sermone usus adjectivi *improbus* ad exempla poetarum [1]). Eadem ex libertate apud Plinium usurpantur vario usu vocabula *orbis, ingenii.* Cf. praeterea XXIII, 22, 40: *Saliva*, pro sapore. XIX, 1, 22: *Stupueruntque litora* sq., pro spectantibus in litore. Ibid. 2, 26: *Nec ante Poenorum arma quae primum Hispaniae intulerunt.* XXI, 4, 20: (Rosa) *contenta ruribus.* Sic enim locum Janus emendavit secundum XIX, 4, 59: *Cotidiana oculis rura praebebant.* XXVI, 1, 19: *Commerciorum habuere curam*, sc. annonae quae in commercio esset. XXVIII, 12, 50: *Aestates et quae decolorem faciunt cutem*, sc. Sommersprossen etc. *Mundus*, pro orbe terrarum (XXX, 1, 8). X, 32, 89: *Partus* (halcyonum) *maria quique navigant novere*, mirum vero quam breviter. Ibid. 19: *Ad caeli cujusque mores.* Quid? quod XXXIII, 1, 9: *In more ferrei erant et virtutis bellicae insigne*, quum *anulus* praecesserit, ad pluralem numerum libere transit scriptor rursusque anulos singulos voce *insigne* significat. Cf. VII, 26, 96: *Iterum* (Pompejus) *triumphales cur-*

---

1) Cf. Url. l. l. p. 139 ad locum IX, 41, 139: *Nomen improbum*, cum exemplis, quibus adde XVI, 19, 78: (Arbores) non *improbe* dicantur sq. Suet. Vespas. 23: *Improbius* natus. Plin. Sec. Epp. I, 2, 8: Ne *improbe* dicam. Ibid. VI, 28, 1. VII, 30, 5: Non ut aemularer (sc. Demosthenis κατὰ Μειδίου orationem), *improbum* enim ac paene furiosum sq. VIII, 18, 3: *Improbas* spes. Seneca Epp. XV, 2, 26. Justin. XXII, 7. XXIX, 2: Spe *improba* sq.

rus Romam induxit. Intelligendus est *unus currus*, ut paulo ante dixit: *curru triumphali revectus est.* Simile exstat XXXIV, 7, 26: *In cornibus comitii*, pro *in cornu* [1]).

δ) Sed his ipsis apparet, etiam per figuram, quam vocant *synecdochen* graece vel per *metonymian* multa breviter significari a Plinio. Cujus quidem generis vocabula haec separatim liceat proponere: XXXV, 10, 78: *Semiramis ex ancilla regnum apiscens* (Strackius recte: „welche vom Sklavenstande zur Regierung gelangte", sc. *ex ancilla* facta *regina*, vel *e servitute regnum* adepta.). XVII, 25, 244: *Trallibus palma in basi Caesaris dictatoris circa bella civilia ejus.* Quocum loco confer XXXIV, 6, 14: *Sedens huic posita soleisque sine amentis insignis*, sc. statua, ut nostrates dicunt, *sitzend* dargestellt sq. [2]).

B. DE NUMERO PLURALI.

Deinde, ut transitum faciamus ad pluralem numerum, quo liberior ille vel etiam creberrimus usus maxime tenetur, eligam ex nube exemplorum ea, quae

---

[1]) Cf. Url. l. l. p. 307.

[2]) Aeque breviter XXXIII, 1, 5, 15: Gallos cum auro pugnare solitos *Torquatus* indicio est, sc. pugna Torquati. Pariter *paedagogium* primum quidem de loco pueris educandis, ut in Plin. Sec. Epp. VII, 27, 13: Puer *in paedagogio* mistus pluribus dormiebat, deinde de ipsis pueris dicitur. XXXIII, 3, 12: Honestius viri *paedagogiis* id damus. Etiam de vernis, cf. Seneca Dial. VII, 17, 2: Quare *paedagogium* pretiosa veste subcingitur? Ibid. Epp. XX, 6, 7: Omnium *paedagogia* oblita facie vehuntur sq. Cf. Suet. Ner. 28. Ammian. Marc. 29, 3.

rem doceant clarissime. XXXI, 2, 7: *Ut protinus noscatur etiam ministeriorum haustus ex illa majestate ingenii.* Ubi Url. l. l. p. 269 comparat *servitiorum*[1]. IX, 41, 140: *Votum quoque factum e vitio portentosis ingeniis* sq. Cf. de hac voce etiam in numero singulari IX, 17, 66: *M. Apicius ad omne luxus ingenium natus in sociorum garo .... necari eos* (mullos) *praecellens putavit* sq. ubi nuper Janus scripsit de conjectura: *ad omnem luxum in ganea natus.* Falso. XXII, 24, 117: *Ista ingeniis constant.* XVII, 13, 98: *Audaci ingenio* sq. Ibid. 17, 123: *Casus ingenio suo excogitavit* sq. XXXIII, pr. 4: *Heu prodiga ingenia!* XXXIV, 13, 132: *Nec in alia parte magis est vitae ingenia mirari*[2]. XIX, 8, 169: *Decutiendo papavera*

---

1) Cf. *Paedagogia* apud Senecam, p. 71, not. 2.

2) Tacit. Hist. III, 28: Hormine id *ingenium* fuerit sq. (sc. inventum, excogitatum, geistreicher Einfall, Erfindung), ubi cf. locos ab Orellio allatos, praeterea Agric. 7: Incertum *suo an militum ingenio* (Schuld), Annal. XIV, 3. XVI, 20. Denique his addere liceat conjecturam ad locum XVII, 9, 58: Simulque praecepta *non invenio* retuli utendi, quando et hic vetustas utilior. Locus aperte corruptus est, nec vero sanatus mihi videtur a Jano, qui *plura* post *praecepta* statuit excidisse, ut haec deinde per parenthesin dicantur. Sed sic si arbitrere, potius *praeterea* post *praecepta* dicas excidisse ex usu Pliniano. Nunc vero contextu sententiarum longe aliud flagitatur, quod pertineat ad verbum *retuli*, sc. ad modum referendi ista praecepta, quae se fideliter attulisse affirmat auctor; simul facta excusatione longioris enarrationis gratulatur sibi, quod ipsis fere priscorum verbis usus sit ad rem illustrandam, id quod in anteced. et inseq. fieri videmus. Dein quam languide, quam inconcinne excipiant illa: *quando et hic vetustas utilior*, si modo dixerit: *plura non invenio?* Unde ego inductus sum, ut locum ita putem scribendum esse: *simulque praecepta eorum ingenio retuli utendi* sq. Dixerat enim: Hae fuere *apud priscos* differentiae. Cur illa deinde addita? *Quando*

(Mohnköpfe) *in horto altissima* sq. XIV, 22, 140: *Quae vasa adulteriis caelata!* (sc. mit bildlichen Darstellungen derselben). XXX, 2, 15: *Saevius sic nos repleti umbris* [1]) Mirum etiam, quam lato usu sub concreti appellatione pateat vox *deliciarum*, quam constat etiam de *una re* praedicari. XXXVII, 2, 30: *In deliciis* (Kleinodien) *feminarum* sq. Ibid. 3, 49: *Taxatio in deliciis tanta* sq. Mox: *Deliciarum tantum conscientia* („das Bewusstsein von dem Besitze eines solchen Kleinodes"). XXII, 24, 118: *Odorum causa unguentorumque et deliciarum* sq. Mox paulo: *Ut tanto magis sui delicias pudeat* [2]). XVIII, 3, 21: *At nunc eadem* (agriculturam) *illa vincti pedes damnataeque manus inscriptique voltus exercent* [3]). XXXIII, 2, 29: (Distinxit) *tunica ab anulis senatum, quamquam et hoc sero, vulgoque purpura latiore tunicae usos invenimus etiam praecones* sq. (sc. *ab equitibus*, von denen, welche einen Ring trugen, et *purpura* pro *clavo purpureo*). XXXIV, 5, 19: *Unde et nostri currus nati in iis qui triumphavissent* [4]).

---

et hic vetustas utilior. Sic apparet manifesto, qui fieri potuerit, ut exstet quasi glossema illud apud S. *inventa ingeniorum.* Cf. Ibid. 7, 43: Plura nuper exerceri coepta *proficientibus ingeniis.*

1) Ubi Url. l. l. p. 267 interpretatur: *mortuis*, und dies für Hinrichtungen; Strackius vert.: „auf diese Art sind wir nur in grausamer Art an *Todten* reich geworden".

2) Contra notior usus ille pluralium: Plin. Sec. Epp. VIII, 1, 2: Encolpius quidem lector, *ille seria nostra, ille deliciae* sq. Ibid. 18, 11: Habes omnes fabulas urbis, nam *sunt omnes fabulae Tullus.* Ibid. IV, 27, 4: Unus Plinius *est mihi priores*, sc. ad instar priorum. Liv. XL, 11: Demetrius iis *unus omnia est.*

3) Ubi Url. p. 226: sc. manus damnatorum et stigmatici.

4) Ubi Url. p. 305: *curruum celebratio* interpretatur.

Denique exinde dabimus apertiora documenta, quam liber ac legibus, ut ita dicam, solutus ubique pateat numerus pluralis apud Plinium, magnam partem ille quidem, ut multa, conferens memorabili scriptoris brevitati [1]). XIX, 2, 30: *Machinis aedificationum aliisque desideriis vitae.* Item XXXVI, 12, 80: *Vestigia aedificationum* (in pyramidibus) *nulla exstant.* XXVII, 8, 118: *Loquacitates immodicas* sq. (ungezügelte Redseligkeit). Ibid. 8, 87: *Claritates animalium aut operum* sq. XXXIII, extr.: *Prout navigationes constiterint.* Accedunt multi hujus generis plurales, qui proprii quasi habendi sunt medicorum linguae (cf. supra de dativo). XXVIII, 9, 139: *Scabritias;* ibid. 11, 167; ibid. *suffusiones* sq. passim. XXIX, 6, 120: *Corporis tempestivitates.* XXXI, 6, 69: *Iisdem vitiis nec iisdem utilitatibus.* (wohlthätige Wirkungen). XXVIII, 8, 109: *Molestias in facie enascentes* (lästige Auswüchse). Ibid. 11, 163: *Capilli defluvia* sq. 19, 248: *profluvia.* XXXIII, 1, 7: *Quamquam ipse* (Homerus) *jam mirator auri aestimationes rerum ita fecit* sq. (Str.: „die Schätzung". At est, opinor, die jedesmalige Angabe des Werthes). XXIII, 1, 41: *Somno ac securitatibus jam dudum hoc fuit* sq. (Str.: „Schlaftrunk und Sorgenbrecher"). XXI, 2, 4: *Mixtura versicolori florum, quae invicem odores coloresque accenderet* (alle einzelnen Nüancen und Schattirungen in Duft und Farben steigern sollte). Plurimus etiam est pluralis *naturarum* (Eigenschaften), ut init. lib. XXVIII: *Omnium rerum naturae;* ibid.:

---

[1]) Cf. Zumpt. § 92. Madvig. § 51 Anm. Nägelsb. Lat. Stil. p. 43 sq. 133.

Naturas animalium; ibid. 11, 176: *Glutinum e naturis vitulorum factum* sq. XXV, 2, 4: *Nostri celebravere, omnium utilitatium et virtutum rapacissimi.* XXXV, 4, 23: *Lucius Hostilius Mancinus qui primus Carthaginem irruperat situm ejus oppugnationesque depictas proponendo in foro* sq.[1]).

V. DE SINGULARI QUODAM USU SUBSTANTIVORUM.

A. DE SUBSTANTIVIS ABSTRACTIS USITATIS PRO ADJECTIVIS.

Sunt alia, quae faciunt ad gravitatem dictionis, ut per abstracta substantiva in *as* vel *io* exeuntia, quibus adjiciatur genetivus, idem efficiatur eademque dicendi brevitate, quod pluralibus vel figuris illis poetarum fieri demonstravi. Exposuit quidem de hoc genere Nägelsbach l. l. § 46. Verum ipsum quoque, ut multa, majore viget libertate in Pliniano sermone. Cf. XII, 13, 41: *Vicinitas Arabiae flagitat* sq. XVIII, 30, 300: *Raritas operariorum.* XXXV, 4, 26:

---

1) Cf. Url. l. l. p. 342: „die verschiedenen Angriffe auf die Stadt, die stückweise bestürmt und erobert wurde". Cum his cf. apud Plin. Sec. Epp. II, 14, 14: *Has indignitates* (unwürdige, schimpfliche Behandlung, exstat jam apud Caesar. b. g. II, 14; Liv. XXII, 13). Seneca Dial. X, 20, 1: Cum in consummationem *dignitatis per mille indignitates* erupissent. Ibid. I, 3, 2: Simillima *cruditatibus ebrietatibusque* sq. Ibid. IX, 8, 1: Si omnia alia quibus angimur compares, *mortes*, *aegrotationes*, *metus*, *desideria* sq. Nat. Quaest. V, 18, 8: *Ad mortes nostras* terra late patet; ibid. VI, 1, 4: Ubi tandem resident *metus nostri?* ibid. VI, 1, 4: *subitae continuaeque mortes.*

Eadem illa torvitas tabulas duas Ajacis et Veneris mercata est [1]. VIII, 42, 154: *Eidem Alexandro et equi magna raritas contigit.* XVII, 17, 122: *Non est omittenda raritas unius exempli.* VIII, 16, 54: *Vix credibili modo torpescente tanta illa feritate* (sc. immani bestia). XVI, 36, 168: *Accuratius dici cogit admiratio antiqua* sq. XXXV, 10, 85: *Eodem postero die superbo emendatione pristinae admonitionis cavillante* sq. [2]. XXXVII, 1: *Admiratio haec* sq. XXXIV, 1: *Alia vetustas.* VII, 29, 107: *Tantam rerum operumque varietatem* sq. XXXIV, 2, 2: *In Cypro, ubi prima aeris inventio.* Ibid. 7, 47: *Deprehenditur aeris obliteratio* [3]. XXXV, 6, 43: *Indicum ex India inexploratae adhuc inventionis mihi.* XXXIV, 3, 11: *In his ergo juncta commendatio officinarum est* (Str.: „so dass sich an diesen die Kunst zweier Werkstätten vereint verherrlicht“). VII, 13, 58: *In reliqua exemplorum raritate.* VIII, 16, 55: *Nam quod ita vectus est* (M. Antonius) *cum mima Cytheride, super monstra etiam illarum calamitatium fuit* [4]. XXXV, 8, 53: *Exceptis operum claritatibus* sq. VIII, 50, 201: *Cum cir-*

---

1) Ubi Urlichsius p. 344 explicavit *homo ille torvissimus* (Str.: „trotz dieser biderben Gesinnung“).

2) Cf. Url. p. 356: „statt vitii, de quo pridie admonuerat“.

3) Strackius: „die Verschlechterung des Erzes“. Immo est *Verfall der Kunst des Erzgusses*, velut paulo ante *fundendi aeris scientiam* dixit.

4) Cf. Demosth. Olynth. III, 25: Δημοσίᾳ μὲν τοίνυν οἰκοδομήματα καὶ κάλλη τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα κατεσκεύασαν ἡμῖν ἱερῶν καὶ τῶν ἐν τούτοις ἀναθημάτων, ὥστε κ. τ. λ. sc. κάλλιστα ἱερά. Seneca De Benef. VII, 9, 2: *Arboris infelicitas.*

cumactum (caprum) *angustiae non caperent nec reciprocationem longitudo in exilitate caeca* sq. XVI, 29, 119: *Omnis* (arborum) *infirmitas caelo magis oboedit.* XVII, 20, 147: *Facilitate tractatus* sq. XII, 1, 11: *Graeciae fabulositas superfuit* (sc. praesto fuit). Quocum cf. VII, 52, 154: (Aristeae anima) *magnam quaesitura fabulositatem*[1].

B. DE SUBSTANTIVIS PER APPOSITIONEM ADJECTIVORUM VICE USITATIS.

Plinius quemadmodum haud raro adjectivis utitur pro substantivis (cf. supra de Ellipsi quae exposui) multaque vocabula praeterea more rituque poetarum inter se nectit, ut adjectiva breviter cum nominibus pro-

---

1) Sic Urlichsius conjecit in Vindic. Plinian. p. 133. Janus scripsit: *magna cura ac fabulositate.* Certe Jani distinctio loci non ferenda erit. Ceterum in loco conjecturis ita vexato supersedissem labori, nisi interpunctionem illam viderem ab usu Pliniano abhorrentem. Conjungenda sunt ista verba cum antecedentibus; nam inest ablativus absolutus ex more Plinii. Tale vero ἓν διὰ δυοῖν, quale Janus proposuit: *cura ac fabulositate*, nego Plinianum esse; accedit, quod excipiunt verba: *quam equidem simili modo accipio*, sc. fabulositatem. Singula pertinent ad miras fabulas de erroribus animae Aristeae (cf. Herod. IV, § 14—16), non ad ipsius animae consilium, ut, si sequar Urlichsium, potius exspectaverim: *magna comitatura fabulositate*, quemadmodum dicitur XII, 19, 86: *comitata vero fabula est* sq. Nunc vero quum sequentia: *quam* (fabulositatem) *accipio* sq. formae illius verbi repugnare videantur, latere suspicor: *magna, quis ista curae, fabulositate.* Sc. non anima quaesivit fabulositatem, sed haec, ut est Graeculorum hominum, insecuta est illud mirabile genus mortis. De forma relativi in his libris ne dubitaveris, cf. XII, 1, 5: *sine quis* vita degi non possit.

priis (cf. VIII, 40, 144: *Volcatium nobilem* qui Cascellium jus civile docuit, ibique Url. p. 110 cum exemplis allatis ad locum), ita idem auctor mire invicem utitur mutatis partibus. Namque permulta apud eum substantiva, imprimis *mobilia*, quae dicunt, in *tor* et *trix* exeuntia vicem obtinent adjectivorum. Itaque qui quidem aliis locis per appositionem similia scripsit: XVII, 14, 10: Casus, *magister alius et paene numerosior* sq. (cf. ibid. 17, 123), idem hujusmodi quoque libertatem deinceps poetarum ex usu promiscuo sibi indulsit: II, 63, 155: *At haec* (terra) *benigna, mitis, iudulgens ususque mortalium semper ancilla* sq.[1]). Et XVII, 5, 35: *Anus terra* sq.[2]). XXXVII, sub fin.: *Italia rectrix parensque mundi altera* sq. XXXI, init.: *Opifice natura* (Bildnerin Natur). II, 66, 166: *Artifex natura.* XXXVII, 4, 57: (Adamantis) *duritia inenarrabilis est simulque ignium victrix natura.* Ibid.: *Illa invicta vis duarum violentissimarum naturae rerum ferri ignisque contemptrix hircino rumpitur sanguine* (Str.: „die unbezwingliche Kraft, welche Trotz bietet"). XXIII, 1, 57: *Domitrix vis haec* (aceti). XXXVI, 16, 127: *Domitrixque illa rerum omnium materia* sq. XXXIII, 3, 52: *Terram virginem nactus* sq. (jungfräulichen Boden). Ibid. 3, 63: *Jam contra salis et aceti sucos domitores rerum constantia* (sc. auro. Str.: „selbst gegen Salz- und Essigsäure, die sonst Alles zerstören,

---

[1]) Ceterum ibi praebent SR² *usibusque*, quemadmodum exstat infra eodem lib. 97, 213: (Aestus maris) *ancillantes siderum avido trahenti*que secum haustu maria sq.

[2]) Cf. etiam Plin. Sec. Epp. VIII, 20, 2: Miraculorum ferax *commendatrixque terra.*

hält es sich"). XI, 3, 8: *Infector ille sucus.* X, 25, 68: *Imitatrix alias avis ac parasita et quodam genere saltatrix.* Ut est apud Ovidium Am. II, 6, init.: Psittacus, Eois *imitatrix ales* ab Indis. VII, 7, 43: *His principiis nascuntur tyranni, his carnifex animus;* ibid. 12, 56: *Adeoque tempestivam admirationem intulit, ut ille* (Antonii triumviri) *proscriptor animus* sq. [1]).

---

[1]) Cf. Nägelsbach Lat. Stil. p. 149 et Orellium ad Hor. Carm. IV, 9, 39. Quibus ego addam ex Seneca Dial. V, lib. III, 28, 1: *Deprecator animus.* De Benef. V, 25, 4: *Animus, sui rector optimus.* Ibid. VII, 22, 2: *Exprobratrix memoria.* Quaest. Natur. VII, 25, 2: Animus ille *rector dominus*que nostri. De Benef. IV, 21, 5: *Mala interpres opinio.* Lucret. VI, 1149 ed. Lachm.: Animi *interpres lingua.* Horat. Ep. ad Pisones 111: *Interprete lingua.* Apud eundem Senecam Epp. III, 3, 8: Generosum illum *contemptoremque* omnis potentiae *spiritum* sq. Ibid. IX, 3, 19: *Moderatrix ratio.* XIII, 3, 29: *Fortitudo contemptrix* timendorum. XV, 3, 19: *Luxuria* terrarum marisque *vastatrix.* XVIII, 4, 3. ex Vergil. Aen. VI, 279: Luctus et *ultrices* posuere cubilia *Curae.* Tacit. Annal. I, 4: Hunc et prima ab infantia eductum *in domo regnatrice.* Sed apud Plinium XXVI, 3, 16: *tota Italia imperatrice*, conjectura tantum Gesneri est. Janus assumpsit: *imbrium creatrice.* Sillgius vult: *nimborum altrice*, ut exstat III, 1, 5: de *Europa altrice* victoris omnium gentium populi. Etiam apud Ciceronem ad Att. I, 16: *victrix nequitia ac libido.* V, 21: *litterae victrices.* Martial. Epigr. VII, 87, 6: *Pica salutatrix;* ibid. 69, 9: Carmina fingentem *Sappho* laudavit *amatrix;* ibid. 72, 14: Ut *vocem* mihi commodes *patronam.* IX, 36, 6: *Victricem laurum'* quam venit, ante vides; ibid. 100, 2: *Charta salutatrix.* X, 3, 2: Foeda *linguae* probra *circulatricis;* ibid. 4, 6: Odit *amatrices* Hermaphroditus *aquas;* ibid. 48, 10: *Ructatrix mentha;* ibid. 51, 9: Non unius *spectator lectulus* undae; ibid. 96, 9: *Conturbator macellus:* XI, 96, 4: *Victrix unda.* XII, 4, 4: *Charta anus;* ibid. 18, 5: *Sudatrix toga.*

Denique non licet omittere usum singularem apud argenteae aetatis (quoniam quidem placet nomen) scriptores, ex quo adjectiva ad exemplum poetarum graecorum ita adhaerescunt nomini substantivo tamque arcte cum hoc conjunguntur, ut alterius cujusdam nominis, ne sit necessarium, quasi compendium fiat, vel adjectivum eo ipso nomine, etsi pertinebat ad aliud, quasi arreptum trahatur. Cf. XXVI, 3, 16: *Pensili balinearum usu* (durch Einführung der schwebenden Bäder). II, 7, 18: *Haec ad aeternam gloriam via; hac proceres iere Romani, hac nunc caelesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis aevi rector Vespasianus* sq. sc. passu ad coelum. VIII, 40, 146: (Canes) *soli nomina sua, soli vocem domesticam agnoscunt*, ubi Url. p. 110 interpretatus est *vocem domesticorum*, des Hausgesindes. Quamquam hoc adjectivo ita usurpato minus offendimur propter usus frequentiam.

VI. DE INTERPOSITIS VOCABULIS ET ENUNTIATIS QUIBUSDAM SIVE DE PARENTHESI, QUAM VOCANT.

Sequitur alia loquendi brevitas, qua per interpositionem vocabuli alicujus vel interclusionem appositi nominis alia cito sententia, per exclamationem plerumque, inseritur, verbum autem novi hujus enuntiati nonnumquam omittitur, denique ita vel longiore elocutione dirempto sermone quasi grande aliquid decantatur. XXXIII, 10, 47: *Quae (malum) amentia est id in vita cupere, quod* sq. (Strackius: „Unselige Thorheit

das im Leben zu begehren! sq.⁴)[1]). Nota sunt haec: XVII, 22, 180: *Quod citra est materiem mittit offensante, credo, spiritu* sq. XX, 13, 134: *Eam* (rutam) *laetioribus foliis et colore idem* (Pythagoras) *oculis noxiam putavit, falsum, quoniam* sq. VIII, 45, 176: *Implent singuli denas eodem anno, tradunt.* (Contra ibid. paulo ante: *ut ferunt.*) XXI, 32, 183: *Corchorum ..... herba est convolutis foliis ad similitudinem mori, praecordiis, ferunt, utilis* sq. Simile est quod saepissime reperiri supra de Ellipsi verborum demostravi, *mirum, mirumque, mireque.* XXIX, 4, 13: *Multa praeterea remedia sunt ex ansere, quod miror, aeque quam in capris.* Contra dubium idem vocabulum est II, 1, 4: *Quasi vero mensuram ullius rei possit agere qui sui nesciat aut, miror! homines videre quae mundus ipse non capiat*[2]). XXVIII, 2, 24: *Et quoniam scorpio admonuit, in Africa nemo destinat aliquid nisi praefatus Africam.* (Str.: „Und weil mich gerade der Scorpion daran erinnert, *so füge ich hinzu,* dass" sq.) XVII, 1, 5: *Hae* (arbores) *fuere lotoe patula ramorum opacitate lascivae ..... duraveruntque, quoniam et de longissimo aevo arborum diximus, ad Neronis principis incendia* sq. XXXIV, 18, 166: *Nero (quoniam ita diis placuit) princeps* sq. (Str.: „Als Nero, weil es

[1]) Cf. Seneca De Consolat. 3, 4: Quae enim, *malum*, amentia est poenas a se infelicitatis exigere et mala sua augere? De Benef. II, 16, 2: *Tumidissimum animal!* si illum accipere hoc non decet nec te dare.

[2]) Nisi vero scribendum est *mirum* ortum ex *mirom*, quod saepius ita positum deprehendi dixi.

nun einmal der Wille der Götter war, Kaiser geworden war" sq.)

Huc pertinent etiam quae supra de eo genere absoluti ablativi dixi, quod tertium posuimus. A quibus hujusmodi exclamationes absunt quam proxime: XXXIII, 11, 141: *Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum aemula, quot mensarum postea apparatu victa!* VII, 7, 44: *Tanti perire potuisti, atque etiam hodie minoris potes, quantulo serpentis ictus dente!* [1]. XXIX, 1, 19: *At de judice ipso quales in consilium eunt, statim occisuri?* XXXIII, 10, 136: *Congerant excedentes numerum opes, quota tamen portio erunt Ptolemaei?* XXXVI, 15, 124: *Cum aut corrivatio aquarum, qua terrenus mons erat, egereretur in verticem machinis aut silex caederetur, quantaque intus in tenebris fierent quae neque concipi animo nisi ab iis qui videre neque enarrari humano sermone possunt!* XXI, 3, 12: *Adeo mihi, si possim sine te vivere, occasio aut ratio deest!* (sc. non deesse mihi vides). XXIII, prooem. 2, 2: *Ego sucum vini, liquorem olei gigno ..... ut quando quantove opere cibi fiant?* II, 68, 175: *Ut qui latissime rura metatus fuerit ultraque famam exegerit accolas quota terrarum parte gaudeat, vel cum ad mensuram avaritiae suae propagaverit, quam tandem portionem ejus defunctus obtineat!*

---

[1]) Lege etiam, si lubet, longiorem locum ex XXX, 52, quem supra exscripsi de ablat. absoluto p. 45. Et plura cohaerentia inter se exempla XI, 24, 81 sq.

VII. DE EADEM BREVITATE DICENDI, QUAE FIAT PER QUAEDAM PARTICIPIA.

Porro ab iis, quae de brevitate Pliniana in nominibus erant dicenda, ad verba transeamus. Atque in his primum, praeter ea verborum participia quae ablativo absoluto continentur (de quibus jam supra p. 42 sqq. exegi), alia in libris Naturalis Historiae reperiuntur memoratu digna propter eximiam brevitatem, quibus totum fere enuntiatum, sive id relativum est seu generis condicionalis seu temporalis, angustis circumscriptum sit finibus. Quamquam hujus usus multa, ut sunt inversa et longiori interposita enuntiato, non negaverimus haud raro esse duriora. Sed admiramur miram semper varietatem, miram sermonis novitatem, qua citato se cursu quasi excipiunt sententiae liberrimeque subsequuntur. Quod quidem valet imprimis in participio *futuri temporis.* IX, 18, 68: *Quanti mercatura eum luxuria suburbanis litoribus inventum?* sc. quanti putatis mercaturam demum fuisse luxuriam, si sq. XVI, 2, 6: *Ut alia omittantur fide caritura* sq. XXIX, 1, 19: *At de judice ipso quales in consilium eunt, statim occisuri?* XXXIV, 7, 42: *Sed ubicunque singuli fuissent nobilitaturi locum.* (Strackius: „von denen jeder, wo er auch gewesen wäre, den Ort berühmt gemacht hätte") [1]).

---

1) Apud Plin. Sec. Epp. I, 8, 3: *Bibliothecam dedicaturus* sq. Ibid. 12, 8. V, 9, 5: *Summa consecuturus*, si sq. VI, 32, 2: Plus *collaturus*, nisi sq. VIII, 3, 2: *Communicaturus tecum*; ut primum sq. Tacit. Annal. II, 17: (Arminius) sustentabat pugnam; incubueratque

Raro Plinius quidem in brevitate dicendi adhibuit *praesentis temporis* participium pro perfecti, ut XXI, 3, 12: *Inde inductam custodiam bibere jussit* (Cleopatra) *illico exspirantem*, sc. loco relativi enuntiati vel consecutionis quod vocant. XV, 30, 136: *Quoniam tenentem rostro laureum ramum onustum suis bacis* (sc. ἅτε παρέχουσαν, κ. τ. λ.) Contra nonnunquam, ad exemplum historicorum maxime, *perfecti* participio utitur loco praesentis, velut VIII, 40, 142: *Garamantum regem canes ducenti ab exsilio reduxere proeliati contra resistentes*[1]. IX, 8, 26: (Delphinus) *sopitus, ut adparuit, odoris novitate fluctuatusque similis exanimi* sq. Sane propter antecedens *sopitus*. XV, 18, 74: *Sed a Catone appellata jam tum Africana* (ficus) *admonet Africae ad ingens documentum usi eo pomo, namque perniciali odio Carthaginis flagrans* sq. Quasi prae-

---

sagittariis, illa *rupturus*, ni sq. Quintil. Decl. I, 5: Hoc fecit aliquis *negaturus*? Instit. Orat. I, 4: Vocabulum an appellatio dicenda sit . . . . liberum *opinaturis* relinquo. Longe autem frequentissimus is usus est apud Senecam, cf. Epp. XX, 6, 8: *Resurrecturum postea malum* sq. Dialog. VII, 28: Quae tempestates aut immineant vobis paulo tardius *rupturae* nimbum suum, aut jam vicinae vos ac vestra *rapturae* propius accesserint. Ibid. VIII (de Otio), 5, 3: (Natura) nos tantis rerum spectaculis genuit, *perditura* fructum sui, si sq. Ibid. I, 5, 7: Accipimus *peritura perituri*. Ibid. 11: Est tanti per ista ire *casuro*. De Benefic. III, 31, 2: Ego vitam dedi statim illa *usuro*, tu *nescituro* an viveret. Idem in Epp. X, 3, 6: *Inventuris inventa* non obstant. Sed vides, quasnam ad argutias, ne dicam ineptias, orationis ille scriptor hac forma plerumque usus sit. In universum apparet Senecam et deinde Plinium utrumque cum Tacito et Quintiliano pari brevitate ac Graeci per particulam ἄν cum participio forma illa usos esse liberrime.

[1]) Madvig. § 431, Anm. 1.

cessisset: Catoniana vel Catonis ficus; praeterea leniendae duritiae, quae inest, sunt quae ibi insequuntur. XXVI, 2, 11: *Sedere namque in scholis* ***auditioni operatos*** *gratius erat quam ire per solitudines* sq. (Strackius: „denn in der Schule sitzen und nur mit Zuhören beschäftigt sein war angenehmer.“) Constat etiam haec participia sic saepe usitata esse multis in verbis, quod careret Latinus sermo praesentis participio in forma passiva.

VIII. DE GERUNDIO.

Mirum autem quam late diffusus sit in omni elocutione Pliniana usus *Gerundii*, quod tam libere patescit ubique, ut, qua facilitate sermoni misceatur et volubilitate, Italorum linguae Gerundii cuivis in mentem veniat. Contra *Gerundivi*, quod vocant Grammatici nostri, vix unum alterumve exemplum legere memini, ut hujus usum, plurali certe in numero, prope alienum dicamus a sermone Pliniano. Igitur in maxima ubique frequentia *Ablativi Gerundii* consideremus haec exempla. VII, 25, 92: *Quod ita esse confessus est ipse* (Caesar) ***bellorum civilium stragem non prodendo*** (sc. strage non prodita). Ibid. 31, 119: *Mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedaemonio* ***praecepta*** *ejus* ***Delphis consecrando*** *aureis litteris.* Ibid. 55, 188: (Vanitas) *sibi vitam mentitur, alias immortalitatem animae, alias transfigurationem, alias* ***sensum inferis dando et Manes colendo deumque faciendo*** *qui jam etiam homo esse desierit* sq. IX, 54, 168: ***Ita mangonicatas villas subinde vendendo*** sq. X, 3, 7: ***E sublimi jaciendo*** sq. Ibid. 49, 137: *Qui credat ista* . . .

vel quae Democritus tradit n o m i n a n d o *a v e s quarum confuso sanguine serpens gignatur* sq. XI, 25, 91: (Arbitrantur ex scorpionum fetu) *unum modo relinqui sollertissimum et qui se* i p s i u s m a t r i s c l u n i b u s i m p o n e n d o *tutus et a cauda et a morsu loco fiat.* XV, 3, 15: *Invictus error est publicus* t u m o r e o l i v a e c r e s c e r e o l e u m e x i s t i m a n d i. XVIII, 2, 7: *Id uno modo consecutus*, s t a t u e n d o *non esse purum ad rem divinam nisi tostum.* XX, 9, 87: *Invenio et podagra liberatos* e d e n d o *eam* (brassicam) d e c o c t a e q u e *jus* b i b e n d o. XXI, 31, 178: *Tertio* (trychno) *folia sunt ocimi*, m i n i m e d i l i g e n t e r d e m o n s t r a n d o *remedia, non venena tractantibus.* XXII, prooem. 5, 9: *Omniaque ea aviditas humani ingenii nobilitavit* r a p e r e f e s t i n a n d o. XXVIII, 1, 1: *Neque enim minus profuere* (animalia) m e d i c i n a s r e p e r i e n d o *quam prosunt* p r a e b e n d o. XXIX, 1, 1: *In* p r o m e n d o. Ibid. 1, 9: *Cibos* d a n d o *horasque* o b s e r v a n d o sq. Ibid. 3, 50: *Ova bina cum ali spicis quattuor una* t e r e n d o *vinique hemina* c a l e f a c i e n d o, *atque ita* p o t a n d o. XXXIII, 1, 22: *Multis hoc modis ut cetera omnia luxuria variavit* g e m m a s a d d e n d o *exquisiti fulgoris censuque opinio digitos* o n e r a n d o ...... *mox et effigies* v a r i a s c a e l a n d o. Ibid. 11, 13: *Nullum genus officinae diu* p r o b a n d o. XXXV, 4, 23: *Situm ejus* o p p u g n a t i o n e s q u e *depictas* p r o p o n e n d o *in foro et ipse assistens populo spectanti singula* e n a r r a n d o sq.

Rarissima vero exempla de dativo Gerundii (velut XXVIII, 2, 29: *Sed* p r o d e n d o *obstat ingens verecundia*). Cf. supra p. 32, de dativo ubi dixi, ex XIX, 5, 93: *Medicamini nata* e x a c u e n d o q u e *aceto*, praeterea II, 39, 105. VIII, 27, 97. XVI, 9, 35; ibid. 36, 158.

XVII, 10, 72. XXXVI, 26, 191, praeter quae nihil ultra de *Gerundivo* potui investigare. Genetivi Gerundii supra vidimus exemplum XV, 3, 15: *Error existimandi*; praeterea exstat XXVIII, 6, 64 extr.: *Augurium ex homine ipso est non timendi mortem in aegritudine* sq.

Gerundii autem usum illum etiam apud Tacitum frequentem esse videmus. Nam, ut e sola Agricolae Vita arripiam exempla, legimus ibi c. 6: Vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et *invicem se anteponendo*; c. 15: *Interpretando accendere* (velut Schillerus noster dicit: „*durch schlimme Deutung* jede That vergiften"). Praeterea notandum videtur hunc usum apud Senecam apparere longe rariorem quam exspectares, in Plinii Secundi autem epistolis occurrere saepius, apud Quintilianum vero infinitum esse atque immodicum. Cf. Seneca, Quaest. Nat. V, 14, 2: Flumina *praecipitando* sonantia. VII, 1, 3: (Sol) calorem suum intensionibus ac remissionibus *temperando* fovet. Jam ex his potest intelligi, quam non libere Senecae adhibeatur Gerundium, ut est in omni sermone aridus et concisus, ne dicam exilis atque elumbis, quum idem apud ceteros liberum solutumque vagetur. Plin. Sec. Epp. II, 14, 6. III, 9, 31. IV, 13, 4: Ero vel cautior *in continendo*, vel constantior *in edendo* (sc. libellum). Quamquam ne is quidem tam libere quam Plinius major vel etiam Quintilianus usus est, cf. Instit. orat. prooem. sub fin. Ibid. c. 1. Ibid. p. 16 (ed. Bipont.). p. 18: Quod moribus magis consulant *fugiendo turbam hominum* sq. c. 9, extr.: Cetera majoris operis ac spiritus Latini rhetores *relinquendo necessaria grammaticis* fecerunt. lib. II, p. 93: Illuminare *interponendo aliquid sui*. c. 12,

extr.: *Inquirendo scribendoque talia* consolemur otium nostrum sq. lib. III, c. 8, p. 195: *Objiciendo aliquos metus.* Ibid. p. 208: *Nec corpus orationis in parva momenta diducendo* consumet. IV, p. 221: Alterum *promittendo nostras probationes et adversas eludendo* vitabimus sq. p. 235: Verum haec omittamus, ne minus gratiae *praecipiendo recta*, quam offensae *reprehendendo prava* mereamur. Et hujus generis in singulis libris exempla invenias licet: nos vero, ne, ut est in supremo loco ex rhetore illo allato, minus gratiae quam offensae apud eos, qui haec legent, contrahamus, in his interim acquiescamus, hoc demonstrasse contenti praeter Quintilianum, dein Tacitum, neminem tam libere ac singulariter Gerundio usum esse quam nostrum Plinium.

IX. DE SUPINO IN U.

Superest, ut de extremo dicam, quod pertinet ad illam brevitatem Plinianam, de altero Supino. Nam Supinum in *um*, ni fallor, vix ter quaterve, idque in arcte cohaerentibus, velut *accubitum iere*, et similibus apud Plinium legitur. Igitur proprio quoque ac frequentiore usu Plinium videmus adhibuisse ablativum illum Supini, qui apud vetustiores nonnisi cum paucis adjectivis conjunctus deprehenditur [1]), raro admodum cum *dignus*, *indignus*, similibus. Contra apud Nostrum cf. XXIX, 1, 26: *Parva opinatu.* XVI, 33, 139: (Cupressus) *natu morosa.* XV, 30, 130: *Inventu rara.* Item XXVIII, 15, 217: *Rarus inventu.* X, 3, 8: *Rarum conspectu.* XX, 1, 2: *Quaeque*

1) Cf. Madvig. § 412, Anm. 2.

alia in suis locis dicemus paria vel majora miratu. XXXVII, 5, 67: Sed et vitia (smaragdorum) demonstrari oportet in tam proclivi errata. Nil refert agnoscas substantivum nec ne, res eodem redit; sed cur Strackius verterit: „bei ihrem unerhörten Preise" non intelligo, nisi vero aliena est lectio nostra a vera. XXIII, 1, 31: *Neque est ulla pars difficilior tractatu aut numerosior, quippe cum sit tardum dictu pluribus prosit an noceat.* Quo quidem loco moveor, ut etiam XVII, 4, 25: *A caelo proximum est terrae dixisse rationem, haud faciliore tractatu*, ex usu Pliniano corrigendum existimem: haud *faciliorem tractatu*. Cf. ibid. 7, 44: *Aspera tractatu* sq. Aliter vero dixit XVII, 20, 147: *Castanea pedamentis omnibus praefertur facilitate tractatus* (de quo cf. supra ad ablativum p. 58).

II.

DE DICTIONIS VARIETATE.

Age vero peractis iis, quae de breviloquentia Pliniana exponenda esse putarem, ad aliud genus dicendi, quod secundo loco posui ab initio hujus libelli,

---

1) Ceterum in his Senecam potissimum secutus esse videtur Plinius, apud quem, ut est ille ubique brevitatis captator, legimus in Dialog. I, 6, 6: Multa incidunt tristia, horrenda, *duro toleratu*. II, 15, 3: Et aspera et quaecunque *toleratu gravia* sunt audituque et visu refugienda. Epp. XIV, 2, 13: Sapiens *facilis victu* fuit. Contra ibid. II, 6, 15: Arida et *corripi facilia* scintillam quoque fovent in incendium.

deinceps me convertam, quod quidem genus aeque proprium esse Plinii videatur maximeque singulare. Neque enim apud alios scriptores veteres tantum invenias tamque insigne studium variandi, ut ita dicam, orationis membra sive loco elocutionis solitae alio ac novo liberoque modo enuntiati membra absolvendi, quantum in Plinio, qui vel in his non minus quam in liberrimo illo usu ablativi absoluti, de quo supra pluribus exposui, admirabilis mihi videtur ac novitate quadam dicendi semper excellens. Igitur Plinius hac usus ratione in conjunctis enuntiatis quaeque pluribus constet partibus oratione modo concretis abstracta miscet vocabula, modo mutatis casibus variatisque extremum membrum adnectit per praepositionem, nunc omissa praepositione nudum casum libere ponit, alterum rursus membrum verbo excipit, atque ita singulis instans commutat omnia, ut, quamvis eo ipso breviter dicendi genere, de quo dixi, multis locis obscurus sit ac difficilis intellectu, tamen semper suspensos nos teneat legentes mira illa locutionis novitate, narrandi perpetua varietate, rerum quae continentur ipsarum copia atque ubertate.

Ceterum id genus, quoniam in praesens otium deest, postea spero me pluribus persecuturum, sicut alias quaestiones complures, quae ad syntaxin pertinent Plinianam. Namque Tacitum quidem de his accuratius comparare cum Plinii sermone, pro tempore me non potuisse vehementer doleo. Quare, ut nunc res est, haec e solis Naturalis Historiae libris deducta exempla doceant atque illustrent apertum variandae, quod significavi, studium dictionis. XI, 29, 101: (Insectorum) *Quorundam extremi longiores curvantur, ut locustis.* Ibid. 25, 87: (Scorpionum) *geminos quibusdam acu-*

leos esse marisque saevissimos. VIII, 42, 164: *Equarum libido exstinguitur juba tonsis*, sc. iis equarum quae j. s. tonsae. XX, 14, 154: *Nervorum causa et in contractione* sq. Ibid. 9, 86: *Hippocrates* (brassicam ait utilem) *coeliacis et dysintericis bis coctam cum sale, item ad tenesmon et renium causas;* ubi cum duobus codicibus melioris notae aperte praeferenda est lectio *causa*, contra ac Jano placuisse video. Cf. ibid. 13, 139. XXVIII, 8, 88; ibid. 6, 18: (Prodest urina) *canis morsui echinorumque spinis inhaerentibus, et in spongia lanisve imposita; aut adversus canis rabidi morsus cinere ex ea subacto, contraque serpentium ictus.* XIX, 5, 94: (Bulbi) *sponte nascuntur copiosissime in Baliaribus Ebusoque insulis ac per Hispanias.* XXI, 7, 42: (Odoramentum) *Cilicium maxime laudatur atque e septentrionalibus.* XIII, 22, 126: *Nero Caesar . . . . . nocturnis grassationibus converberata facie inlinens sic cum ture ceraque, et secuto die contra famam cutem sinceram circumferens.* (Ubi ne correxeris converberatae faciei, conjunge cum nocturn. grass.) XVII, 26, 246: *Communia* (arborum remedia) *ablaqueatio, adcumulatio, adflari radices aut cooperiri, riguus dato potu vel ablato; fimum suco refectis putatio levatis onere.* XXXI, 6, 59: (Aqua utilis) *bibendo atque purgationibus.* XXVIII, 4, 53: *His remediis adnumeratur exercitatio, intentio vocis, ungi, fricari cum ratione.* XXXVII, 2, 23: *Circa Alabanda et Orthosiam finitimisque montibus, item in Cypro.* XXXII, 5, 45: *Prodest a serpente percussis et contra bestiarum ictus.* XXVIII, 6, 64: *Contra lippitudinem retro aures fricare prodest*

et lacrimosis oculis frontem. XIX, 5, 87: *Odium his* (raphanis) *cum vite maximum, refugitque juxta satos* (sc. vitis et ipsa illos refugit).

Finem vero exemplorum non inveniam, si ea quoque velim afferre plurima, in quibus vocabulorum quaedam intercedit commutatio, figurarum auxilio quas graece appellant *metonymian* et *synecdochen.* Quare haec satis esse arbitror ad rem demonstrandam: X, 2, 3: *Aethiopes atque Indi discolores, maxime et inenarrabiles ferunt aves et ante omnes nobilem Arabia phoenicem.* XII, 19, 86: *Cinnamum nascitur in Aethiopia Trogodytis connubio permixta* (sq. qua in parte Aethiopibus est cum Trog. connubium). Ibid. 18, 84: *India et Seres.* (Quamquam veteres, opinor, omnino non dixerunt *Seria.*) Rursus ibid. 22, 104: *Indis atque Syriae.* XIII, 14, 90: *In descriptione Indorum atque Arabiae.* Ibid. 17, 104: *Circa Syrtes atque Nasamonas* (etsi dicebant etiam *Nasamonitis*). XIV, 16, 102: *Quo Parthi, Indi utuntur et Oriens totus.* Magis etiam memorabilia haec sunt: XXI, 3, 11: *Mox petitis ab India aut ultra Indos.* Ibid. 7, 43: *Pannonia hanc* (saliuncam) *gignit et Norici Alpiumque aprica, urbium Eporedia.* Ibid. 8, 48: *A Graecis tamen repertos* (quosdam flores) *quis dubitet non aliter Italia usurpante nomina illorum?* XII, 4, 18: *Neminem ad id tempus Asiae Graeciae, que aut sibi cognitum.* Quocum cf. XVII, 18, 128: *Quod praecepisse eum* (Magonem) *Africae intelligitur.* Audacius etiam XIX, 4: *Herbam esse quae Gades ad Herculis columnas septimo die Ostiam afferat* sq. pro *Gadibus navigantes* vento secundo afferat sq. Unde videmus Plinium vel consulto vitare in eloquendo aequalem ubique et simplicem vocabulorum decursum et pro-

silientem quasi ruptis vinculis nova semper variaque gaudere dicendi facilitate [1]) XXVIII, 2, 12: *Durat immenso exemplo Deciorum patris filiique quo se devovere carmen, exstat Tucciae Vestalis incesti deprecatio* sq.

Huc etiam referendae sunt exclamationes illae apud Plinium, quibus interdum sermo interclusus est (cf. supra p. 80 de parenthesi), eodemque e variandi studio sane profecta est omnium illa maxime mira XVIII, 33, 328 sqq. quam, ut exemplum notabile, totam liceat transferre: *Illo* (sc. ad ventum septentrionalem) *tibi putator, arborum plagae ne spectent* sq. *Illinc flante ne arato, quaeque alia praecipiemus ..... Illinc flatu veniente materiam vineamque, agricola, ne tractes ..... Hic olivae timeatur vergiliarum quatriduo, hunc caveat insitor calamis gemmisque inoculator ..... frondem medio die, arborator, ne caedito. Cum meridiem adesse senties, pastor ..... pecudem e sole in opaca cogito. Cum aestate pasces, in occidentem spectante meridiem .... si in rorulentum duces, ne contra septentrionem paveris.... qui feminas concipi voles.... iniri cogito.* Qua velut propria quadam formula scriptorum de re rustica compellat graviterque admonet agrestes quid cuique quoque anni tempore curandum sit, quemadmodum hodieque apud paganos fieri videmus per eos qui fastos sive calendaria conscribunt agricolis dantque varia praecepta de agrorum hortorumque cultura.

[1]) Contra rarissima hujus generis exempla reperiuntur apud Senecam: Dialog. I, 6, 7: Non tam longas *in exitu* vobis quam *intrantibus* moras. II, 1, 1: Altera pars *ad obsequendum*, altera *imperio* nata sit. Saepius autem apud Tacitum, cf. Agric. 6: Vixeruntque mira concordia, *per mutuam caritatem et invicem se anteponendo.*

III.

DE PLEONASMO QUODAM PLINIANO.

De brevitate dicendi Pliniana qui modo legerit, quae in superioribus disserui pluribus verbis exemplorumque illustravi multitudine, confestim is hoc loco me suo jure interpellabit, hanc figuram sive abundantiam orationis negaturus obtinere posse apud scriptorem breviter dicendi vel omnium studiosissimum. Licet sane tale aliquid contendere; sed nihilominus ejus quoque generis exstant nonnulla in libris Naturalis Historiae, quae ad Pleonasmum, quem Grammatici dicunt, referenda videantur. Quamquam in hoc genere cum Cicerone vel etiam Livio conferre Plinium licet nusquam; etenim adstrictus est Noster semperque sibi instat exponendo breviter; nisi quod excipienda sunt singulorum fere librorum *prooemia*. Haec enim plerumque, dum grande nescio quid videntur velle sonare, effusiore decurrunt orationis flumine verbosisque excursibus quasi luxuriant, quibus auctor insectatur vehementius generis humani suaeque aetatis vitia. His igitur exceptis reliqua semper breviora; restant tamen nonnulla sermonis quasi plenioris, quae etiam apud Plinium redundare videantur vel paulo uberius dicta esse, ita ut haec ipsa scriptorum ejusdem aetatis propria dicamus. Atque hujus generis haec a me delecta propono.

A. DE NOMINIBUS.

XI, 37, 143: *Ferunt Tiberio Caesari, nec alii* *g e n i t o r u m m o r t a l i u m*, *fuisse naturam* sq. Dictum

cum emphasi pro *hominibus*, velut I, 92, 206: *cum plurimis mortalium*; ibid. 93, 207: *tot mortales*; 208: *mortalium quispiam*. VII, 31, 118: *ceteros mortales*[1]. XXXII, 11, 143: *In tanto mari oceanoque*[2].

Memorabilem quoque usum scriptorum argenteae aetatis cum his licet conferre, quo ex usu praedicatum substantivo addendum explicatur voce *rei*, non solo adjectivo. XXXII, 1, 4: *Ut res sit etiam auspicalis pisciculus*. XXXV, 3, 12: *Decora res, utique si* sq.[3]. XIX, 4, 58: *Horti maxime placebant* (pulmentaria) *quae non egerent igni parcerentque ligno, expedita res et parata semper*. Sed alia videamus eaque magis ex

[1]) Quo de vocabulo cf. Nägelsbach, Lat. Stil. p. 77: „*mortales* besonders in Schlachtenberichten, Liv. IX, 44." Usitatum ita illud semper, ni fallor, in prosa oratione adjectis *numeralibus* vel *partitivis pronominibus*, qualia *tot*, *multi*, *omnes*, *cuncti* etc. Ceterum Plinianum illud ex abundanti dictum videmus ad exempla poetarum, velut Homeri βροτῶν ἀνδρῶν, θνητῶν ἀνθρώπων; cf. Hesych.: γηγενέων ἀνθρώπων, similia.

[2]) Cf. apud Tacitum Annal. I, 9: *mari Oceano*. Aliter vero apud Plinium dicitur IX, 6, 12: *in Gaditano oceano*.

[3]) Sed frequentissimus hic usus est Senecae. Cf. De Benefic. IV, 9, 1: Ergo beneficium per se *expetenda res* est; paulo post: Serere per se *res expetenda* est; ibid.: Si per se beneficium dare *expetenda res* esset. Ibid. 18, 11: Per se *fugienda res* est ingratum esse. Ibid. V, 11, 5: Beneficium dare *socialis res* est. Natur. Quaest I, prol. 5: O quam *res* est *contempta* homo, nisi sq. Ibid. VI, 1, 14: Non homines tantum, qui *brevis et caduca res*, nascimur sq. Ibid. IV, 8: *Unam rem* adhuc adiciam sq. Ibid. VII, 30, 5: *Pusilla res* mundus, nisi sq. Epist. III, 2, 4: Mihi crede, verum gaudium *res severa* est (αὐστηρόν τι). Ibid. VII, 7, 6: *Bella res* est mori, sua morte. X, 1, 6: Non est *res magna* vivere.

abundanti dicta. XIII, 13, 72: *Alia quoque utensilia vasorum.* XIV, 7, 74: *Sponte suae naturae.* Ita saepe locutus est significantius quam ablativo nudo, velut XXVIII, 7, 80: *Aetatis sponte* (von selbst). XV, 19, 81: *Sponte arescunt loci situ rimisque eadem quae culicum opere causa perficit* sq. Apud alios quoque dicitur quod exstat XXXIV, 8, 77: *Euphranoris Alexander Paris est* sq. sc. ne quis alium putaret Alexandrum. Cum quibus etiam conferam miram illam ἐπαναλῆψιν XVI, 36, 159: *Calamis orientis populi bella conficiunt, calamis spicula addunt irrevocabili hamo noxia; mortem accelerant pinna addita calamis, fitque et ex ipso telum aliud fracto in volneribus.* Pingue vero quiddam inest in hoc XVI, 32, 134: *Nunc enim totus sermo de natura est multis modis mirisque memorabili* [1].

B. DE VERBIS.

Deinde in *verbis* notabilis imprimis videtur usus verbi *agendi*, ex quo, quamvis non desit in lingua verbum proprium de aliqua re vel simplex, ope alicujus substantivi nonnullae locutiones quasi circumscribuntur. Quemadmodum nostrates quoque in vernacula faciunt verbo *thun*. Quamquam ne illud quidem sine aliqua fit quasi describendi subtilitate. II, 7, 20: *Agere curam rerum humanarum illud quidquid*

---

[1]) Cf. Lucret. I, 814 sq. (ed. Lachmann.):

Ni mirum, quia *multa modis communia multis*
Multarum rerum in rebus primordia mixta
Sunt sq.

est summum sq. [1]). Ibid. 1, 3: *Furor est mensuram ejus* (mundi) *animo quosdam agitasse atque prodere ausos* sq. Ibid. 4: *Quasi vero mensuram ullius rei possit agere qui sui nesciat* sq. XXIX, 1, 18: (Medici) *discunt periculis nostris et experimenta per mortes agunt.* XXXVI, 5, 11: *Quod si quis horum familiam ad proavum usque retro agat, inveniet artis ejus originem* sq. [2]). Huc etiam referam: XIV, 1, 7: *Nec deterrebit quarundam rerum humilitas, sicut nec in animalibus fecit* (sc. deterruit). Ex abundanti quoque dicta sunt: XXXIII, 3, 42: *Quod et ipsum latet auctore incerto.* XVIII, 28, 267: *Quid te rusticum quereris? non stat per me quominus caelum intelligas et caelestia scias* (sc. per me scias licet.)

IV.

DE PRONOMINIBUS QUIBUSDAM.

In his primum est quod moneam, apud Plinium pronomen *suus* ita saepe usurpari singulari quodam ac proprio usu, ut quo referatur non habere videatur. Sive, ut Grammatici dicunt, ubi pronomini reflexivo,

---

[1]) De distinctione loci cf. Url. l. l. p. 10, quem nos quoque secuti sumus; aliter Janus distinxit.

[2]) Apud Senecam cf. Dial. VI, 20, 4: *Poenitentiam salutis acturus.* Plin. Sec. Epp. VII, 10, 8: Ne rursus provinciae ..... placeat *agatque poenitentiam poenitentiae suae.* Seneca De Clem. I, 4, 2: Tanti fortunam populi *in ruinas aget.*

quum non antecesserit subjectum, locus non sit[1]. Atque licet in universum dicere liberrime id pronomen usurpari a Plinio nulla subjecti ratione habita tum fere quum nos nostra lingua dicimus quiddam singulare, *eigen*, *eigenthümlich*, *charakteristisch*, Latini veteres *proprius ac suus* (Cic. Tusc. disput. I, 23, 54, cf. ibid. I, 27, 66), *singularis*, *peculiaris*, ipse Plinius adverbio *peculiariter*, velut XXV, 2, 7: *Peculiariter curiosus.* XXVI, 4, 11: *Peculiare Narbonensis provinciae malum.* Igitur hujus generis habemus II, 24, 89: *Quos* (radios) *et disceus, suo nomini similis, colore autem electro, raros e margine emittit.* Ubi Janus cur *suo* omiserit, non video. Quod quomodo sit intelligendum ostendit XXI, 8, 47: *Summa natura ejus* (amaranti) *in nomine est appellatio, quoniam non marcescat*[2]. XXII, 22, 73: *Est enim suo nomine halimon* (es giebt eine Pflanze dieses Namens). X, 70, 194: *Piscator*

---

1) Quem quidem usum memoravit etiam Nägelsbach, Lat. Stil. p. 248 extr. collatis ex Cicerone exemplis. Cf. Madvig. § 490, Anm.

2) Quamquam de hoc ipso loco vehementer dubito num vocabulum *appellatio* (sic Janus cum S.) recte se habeat. Namque non est negligendum quod etiam apud S. post *est* interpungitur, ut ego scribendum censeam ex usu Pliniano: *In nomine est, appellato, quoniam* sq., sc.: Ita quidem appellato, quoniam sq. Cf. XVI, 44, 249: Ut inde *appellati quoque interpretatione Graeca possint videri.* Ibid. 250: Omnia sanantem *appellantes suo vocabulo.* Item XXI, 8, 48: In *nomine et cyani colos.* XXXI, 7, 79: Nobilitantur *Hammoniaco et ipso*, quia sub arenis inveniatur, *appellato.* XXXVII, 4, 57: Unde et *nomen ..... interpretatione graeca* accepit. Melius videtur, quod alibi Jano video probatum fuisse (cf. Gelehrte Anzeigen der Münchn. Acad. d. Wiss.) *appellatio* deleto commate positum, sc. *appellatio* (indita est), *quoniam* sq. Sed favet meae conjecturae Plinianus usus·

expellit veluti sui cadaveris agnitionem fugientes (sc. sui generis). Sic etiam II, 106, 237: *Semper ardens Nymphaei crater, dira Apolloniatis suis portendit* (sc. vicinis in urbe Apollonia). XVIII, 35, 360: *Atque etiam in campis* (praedicit) *venturam tempestatem praecedens suus fragor.* XI, 42, 241: *Et caprarum gregibus sua laus est.* XIX, 1, 10: *Est sua gloria et Cumano* sq. Ibid. 8, 142: *Est etiam sua gratia* sq. Ibid. 8, 164, *Peregrinum et careum gentis suae nomine appellatum* sq.; ibid. 165: *Ligusticum silvestre est in Liguriae suae montibus.* XXI, 4, 17: *Sed ibi non suae terrae proventu* sq. XXVIII, 4, 45: *Sunt qui praecipiant dentem suffiri dente hominis sui sexus* (sc. sexus ejusdem). Ibid. extr.: *Hinc deinde praevertemur ad animalia sui generis* sq. XV, 24, 95: *In sua natura dicentur* (sc. cum dicemus de genere ac natura glandium). XIII, 3, 20: *Unguenta illico exspirant ac suis moriuntur horis.* Huc etiam notiora illa pertinent: XXXV, 36 init.: *De quo suis annis dicemus.* XIX, 3, 47: *Suo loco.* XX, prooem. 2: *In suis locis.* Item XXI, 13, 76. XIX, 8, 172: *Item* (defecerunt) *Sicyone ex suis montibus et Athenis ex Hymetto.* XX, init.: *Maximum hinc opus naturae ordiemur et cibos suos homini narrabimus.* XXXIII, 4, 77 fin.: *Aurum arrugia quaesitum non coquitur sed statim suum est* (ist gleich so fertig). XVI, 36, 161: *Praecipuus hic visus* (calamus) *in Creta bellatores suos nobilitavit* [1]).

---

1) Cf. etiam apud Senecam Epp. II, 2, 11: Haec (eloquentia) quieta et *sui negotii* sq. Ibid. VIII, 2, 3: Ignoranti, quem portum petat, *nullus suus ventus* est. Ibid. IX, 5, 10: Ergo si omnis res, cum *bonum suum* perfecit, laudabilis est et ad finem naturae suae pervenit, homini autem *suum bonum* ratio est sq.

Deinde simili libertate atque in pronomine possessivo usus est Plinius etiam in *personali* eodemque reflexivo *sui*, quod praeterea addita praepositione *cum* brevissime dicitur. XXIII, prooem. 3: (Vita) *si nihil aliunde quam supra terras concupisceret, breviterque, nisi quod secum est!* XX, init.: *Pax secum in his aut bellum naturae dicetur* sq. XI, 43, 245: *Brachia non omnibus paria secum.* XIV, 18, 118: *Vina in apothecis canis ortu mutantur quaedam posteaque restituuntur sibi.* Mira etiam synecdoche ibid. 117: *Aegyptus vocat apud se praedulcem* sq. Ibid. 19, 120: *Africa gypso mitigat asperitatem, nec non aliquibus partibus sui calce.* XXII, 24, 118: *Ut tanto magis sui delicias pudeat.* X, 77, 211: *Est autem somnus nihil aliud quam animi in medium sese recessus.* XXVIII, 4, 55: *Sol quoque remediorum maximum ab ipso sibi praestari potest.* Ibid. 1, 4: *Incipiemus autem ab homine, ipsum sibi exquirentes* sq. Memorabilis quoque est locus ob longe antepositum pronomen ibid. 2, 15: *Cum in Tarpejo fodientes invenissent, missis ob id ad se legatis Etruriae celeberrimus vates Olenus Calenus praeclarum id fortunatumque cernens scipione prius determinata templi imagine in solo ante se* sq. Ibid. 19, 257: *Infantibus nihil butyro utilius per se et cum melle* (für sich allein). Mire vero pronomina miscentur XI, 3, 6: *Nam mihi contuenti se persuasit rerum natura nihil incredibile existimare de ea*[1]).

---

[1]) Sed propter hoc ipsum demonstrativum *ea* suspecta mihi illa lectio codd., quorum pars habet contuenti *semper suasit* sq. Et hercule contuenti *semper suasit* (vel *contuenti saepe*) magis est ex usu Plinii, qui semel, ni fallor, dixit XI, 16, 42: *Relinqui* ex ea duas

Addenda denique videntur pauca de numerali pronomine *unus*, quod miro modo nonnunquam ita dicitur, ut propemodum idem sit ac *quidam*, vel ut patrii nostri sermonis articulum, quem dicimus, quasi compenset. XXIX, 1, 22: *Notum est ab eodem Charmide unum aegrum ex provincialibus HS ducentis reconductum.* Certe non est *ein einziger*, obstat enim verbum *reconductum* quominus ita accipias. Atque huc faciunt loci hujusmodi, qualis apud Senecam exstat Natur. Quaest. VI, 30, 4: Cur ergo aliquis ad hoc stupet, quod aes *unius statuae* ne solidum quidem, sed concavum ac tenue diruptum est, cum sq. (Quod cave vertas: „einer einzigen Statue"). Contra aliter ibid. VI, 8, 4: Quod (navigium) nisi parvum et *unius* capax limosa et obsita palus non ferat (worin nur ein Mann Platz findet). XXXV, 10, 81: *Anus una custodiebat* sq. Quamquam nunc id malim interpretari *praeter unam anum nemo*, nur eine alte Frau. Praeterea adnotandum est in universum apud Plinium, ubi expectaveris *solus*, legi *unus* cum genetivo partitionis. Et *solus* quidem exstat, opinor, nominativo nonnisi XI, 43, 243: *Terrestrium solus homo bipes.* XXIII, 1, 42: *Soli animalium non sitientes bibimus.* XIV, 6, 63: *Nec ulli nunc vino major auctoritas. solo vinorum flamma accenditur* [1]. Contra XI, 37, 131: *Calvitium uni tantum animalium homini* sq. Ibid. 150: *Uni*

---

partes apibus ratio *persuadet*, contra saepissime *suasit* cum infinitivo, id quod paulo post ostendam p. 110.

[1]) Ceterum ibi vel in consensione codd. suspectum vocabulum *vinorum*, cum praecedat *vino* neque adeo sit nimius Plinius in talibus exaggerandis.

animalium homini depravantur (oculi). Ibid. 38, 223: *Profluvium ejus* (sanguinis) *uni fit in naribus homini.* Ibid. 45, 252: *C. Marium stanti sibi extrahi* (varicem) *passum unum hominum* sq. Ibid. 46, 255: *Talos asinus Indicus unus solipedum habet.* Ibid. 53, 283: *Uni animalium homini.* XII, 25, 111: *Sed omnibus odoribus praefertur balsamum, uni terrarum Judaeae concessum* sq. XXXIII, 4, 82: *Scitum veteranorum unius.* Cf. etiam supra de genetivo p. 29.

Restat hoc loco, ut de *relativo pronomine* paucis dicam. Namque in magna exemplorum, quae contuli, multitudine legem illam Grammaticorum, quam constitutam nunc videmus apud Zumptium § 372, Madvigium § 316, quaque in enuntiato relativo, quod explicando sit nomini atque interpretandi causa adjiciatur, relativum pronomen cum posterioris enuntiati nomine sit conjungendum, vix duobus tribusve locis Plinium secutum esse observavi. Et ea quidem exempla, in quibus nomina illa casu ac fortuito eodem genere perscripta sunt, quaestionem de re dijudicare non possunt. Quae cum ita sint, statuerim ego, fretus innumerabilibus exemplis, relativum pronomen ista lege Grammaticorum omnino non teneri apud Plinium et hujusmodi rationem observari semper in scribendo, qualem videmus apud Lucretium V, 899 sq. (ed. Lachm.): Quippe videre licet pinguescere saepe *cicuta* barbigeras pecudes, homini *quae* est *acre venenum.* Igitur pro lubitu conferamus apud Plinium X, 37, 109: *Avis quae tinnunculus vocatur.* XI, 37, 197: *Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membrana, quam* (sic Janus recte) *praecordia appellant, quia cordi praetenditur quod Graeci appellaverunt φρένας.* XII,

23, 107: *Arbor quam metopon appellant.* Ibid. 25, 116: *Sucus quem opobalsamum vocant.* Ibid. 26, 128: *Ab hac ferula differt quae vocatur spondylion.* XVI, 44, 242: *In suburbano Tusculani agri colle qui Corne appellatur.* XXXII, 2, 15: *Ad locum Mauretaniae, qui Cotte vocatur.* Ibid. 16: *Quas* (ranas) *Graeci phrynos vocant.* XXXIII, 8, 126: *Lapis quem coticulam appellant.* XVII, 6, 42: *Genus quod vocant margam.* Ibid. 11, 77: *Arulas id vocant.* XVIII, 35, 353: *Nubecula quam praesepia appellant.* XIX, 1, 14: *Fruticem quem aliqui gossipion vocant.* Ibid. 3, 45: *Caule quem magydarim vocarunt;* ibid. 46: *Alterum genus ejus est quod magydaris vocatur.* XX, prooem. 1: *Quod Graeci sympathiam et antipathiam appellavere.* Ibid. 4, 27: *Ulcera quae phagedaenas vocant.* Forte casuque conveniunt sibi alia, velut: XII, 22, 103: *Palma quae vocatur adipsos.* XIV, 20, 122: *Quam* (picem) *et mastichen vocant.* Ibid. 16, 102: *Mitiorum, quas vocant chydaeas* (Sed variant codd., ut scribendum putem *mitiarum*). XVIII, 30, 306: *In scrobibus, quos siros vocant.* (Attamen *scrobs* et *scrobis* etiam generis communis esse putantur, Madvig. § 41. p. 42.) XVI, 44, 244: *Herba quae vocatur cadytas .... item quae polypodion vocatur et quae dolychos ac serpyllum.* XVII, 27, 255: *Genus culicum quos vocant centrinas* (quamquam ὁ κεντρίνης dicebatur). XVI, 25, 94: *Quod germinatio ideo vocatur.* XXXVII, 1, 11: *Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactyliothecam.* XXXIV, 15, 150: *In urbe quae Zeugma appellatur.* Restant ergo e contrariis meae sententiae XVI, 10, 39: *Easdem arbores alio nomine esse per oram Italiae*

quos tibulos vocant plerique arbitrantur. Sed hoc in loco femininum nil nisi praedicatum est, praeterea paulo ante *pinastrum* (nam hunc intelligit) auctor dixerat. Tamen XIII, 4, 39: *Dulcis medulla earum* (palmarum) *in cacumine, quod cerebrum appellant exemptaque vivunt* sq. Quod quidem solum superest exemplum, quo sententiae praepositae contradicatur. Quare dum solum est, propter ipsum usum Plinianum etiam suspectum mihi est. Notandum etiam, quod per attractionem dicitur, XXXV, 10, 114: *Unde id genus picturae grylli vocantur.*

V.

DE MODIS ET TEMPORIBUS VERBI.

A. DE INDICATIVO.

Indicativus quidem quomodo a Plinio proprie usitetur paucis licet demonstrare. Primum enim, ut a ceteris ejus aevi scriptoribus, hic modus verbi ponitur nonnunquam *imperfecto tempore* in enuntiatis *condicionalibus*, ubi ex usu antiquiorum exspectares conjunctivum [1]). XXVI, 1, 9: *Parum erant enim homini certa*

[1]) Cf. Madvig. § 348, c. Anm. Contra saepius cum conjunctione *si* adhibetur conjunctivus praesentis, ut indicativus praesenti tempore sequatur. Cf. XVI, 1, 4: Et hae gentes *si vincantur* hodie a populo Romano, servire se *dicunt*. Cf. Url. l. l. p. 201.

morborum genera, cum supra CCC essent, nisi etiam nova timerentur? XXII, 22, 81: *Eadem* e r a t *anthriscum, si teneriora folia et odoratiora haberet.* XX, 7, 59: *Similis* e r a t (genus lactucae) *silvestri foliis, nisi plura haberet* sq. XXI, 27, 174: *Eademque* e r a t *quae ocimum, nisi esset* sq. XVIII, 10, 96: *Idemque* e r a t, *nisi pinguius esset* sq. XXIX, 1, 29: *Nec* d e e r a t *materiae pompa, si quidquam aliud intueri liberet* sq. XXVIII, init.: *Dictae* e r a n t *omnium rerum naturae inter caelum ac terram nascentium,* r e s t a b a n t*que quae ex ipsa tellure fodiuntur, si non auferrent* sq. Verbum quidem illud ipsum etiam deest, cum sequentia per appositionem adjiciuntur. XXII, 22, 88: *Lactucae* s i m i l e s a m b o, *nisi spinosi essent.* Cf. supra de omissis verbis p. 14. Contra ea conjunctivum semel tantum legere memini XXIII, 1, 15: *Uva passa* . . . . . *ventrem et interanea* t e m p t a r e t, *nisi nuclei essent* sq. [1]).

---

1) Apud Tacitum quidem tam saepe nobis occurrit ille usus indicativi, ut uno exemplo testimonium dedisse sit satis, Histor. III, 46: Jamque castra legionum excindere *parabant*, ni Mucianus sextam legionem opposuisset sq. Sed apud Senecam, quod memorandum videtur, latius etiam patet idem usus, ita tamen ut *plusquamperfectum* praecipue usurpetur. De Ira I, 11, 5: *Perierat* imperium, quod tunc in extremo stabat, si Fabius tantum ausus esset sq. Ibid. II, 33, 6: *Perierat* alter filius, si carnifici conviva non placuisset. Lud. de morte Claud. 6, 1: Et *imposuerat* (Claudius) Herculi, homini minime vafro, nisi sq. De Benefic. VII, 9, 4: Insania viros *superjecerat*, nisi sq. Natur. Quaest. I, prol. 4: Nisi ad haec admitterer, non *fuerat* nasci. Ibid. I, 17, 6: Id (ferrum) impune homines *eruerant*, si solum eruissent sq. Epp. I, 4, 3: Mors ad te venit: timenda *erat*, si tecum esse posset. IX. 1, 1: Quod quaeris a me, *liquebat* mihi, si rem edicerem per se. X, 2, 21;

Ad *perfectum* quidem tempus indicativi nihil videtur adnotandum, nisi quod eo usus est Plinius ad exemplum ceterorum ejusdem aetatis scriptorum ita, ut omisso verbo *curandi* vel *jubendi* (nos dicimus „lassen“) proprium verbum posuerit solum [1]. XV, 18, 78: *Gladiatorio munere divi Julii quod novissime* *pugnavit* *in foro.* XXII, 6, 12: *Idque etiam in villa sua Tusculana, quae fuit postea Ciceronis*, *pinxit*. Ibid. 13: *Quod et statuae in foro suo divus Augustus* *subscripsit.*

B. DE INFINITIVO.

α) Infinitivo primum *activi* generis usus est Plinius aliquotiens pro subjecto, velut XXXIV, 7, 38: *Capite tutelarios cavere pro ea instituti publici fuit.* Quamquam hoc saepius fit in genere passivo infinitivi, de quo paulo post p. 109. Rem Zumptius attingit breviter § 590. Verum latius quam in ceteris monumentis linguae Latinae serpit per omnem sermonem Plinianum usus ejus infinitivi, quem ἀορίστως adhibitum dicunt Grammatici. X, 23, 60: *Nemo velit* *attigisse* sq. Item XXXIV, 7, 36: *Voluptarium sit* *attigisse* *artificesque celebratos* *nominavisse.* Jam Zumptius quidem recte monuerat hoc genus infinitivi sic usurpari ad eventum actionemque jamjam *perfectam cogitatione* significandam, ubi nos

---

O quam magna *erat* gloriae materia, si spectaremur aegri! Unde Senecae videmus in his longe frequentius esse plusquamperfectum.

1) Cf. Madvig. § 481, Anm. 1. Quem quidem usum argenteae, quam vocant, aetatis linguae Latinae proprium esse docuit Heinrichius ad Juvenal. Sat. p. 95.

Germani malimus dicere aliquid nunc ipsum fieri ideoque praesens verbi tempus praeferamus. Contra ea, quibus commode indicatur nobis in hoc infinitivo latere veras quasdam graeci aoristi quasi reliquias seu prisci sermonis vestigia (id quod mihi quidem exploratum est), Madvigius (Grammat. § 407, Anm. 2) nimis angustis finibus cogit hunc usum, quem vel pro subjecto neget usitatum reperiri. Tu vero cf. XVII, 4, 25: *A caelo proximum est terrae* d i x i s s e *rationem* sq. XXI, 13, 78: *Parum enim erat* g e n u i s s e *rem* sq. XXXIII, prooem. 4: *Parum enim erat unam vitae* i n v e n i s s e *pestem* sq. Ibid. 1, 27: *Claves quoque ipsas* s i g n a s s e *non est satis.* XXXVII, 12, 195: D i s t i n x i s s e *satis erat* sq. Item XV, 2, 20. Atque in hoc etiam erravisse videtur Madvigius, quod nonnisi cum praeteritis *oportuit, decuit, convenit, debueram, oportuerat* ejusmodi infinitivos conjungi pronuntiavit. Ostendant exempla deinceps afferenda apud Plinium quidem certis legibus prorsus destitutum liberrimumque esse usum hujus infinitivi. XXXIV, 9, 96: *Id quoque* n o t a s s e *non ab re est* sq. Quo quidem in exemplo vel notabilior est perfectum tempus re nondum dicta. XXXI, 3, 43: *Non ab re sit quaerendi aquas* j u n x i s s e *rationem.* Saepissime vero conjunctus ita legitur idem infinitivus cum *conveniat*, cf. XXXI, 3, 43: *Varietatem naturae* a p e r u i s s e *conveniat.* Similiter XVI, 36, 156. XIV, 19, 120. XIII, 22, 122: *Et ferulam inter externas* d i x i s s e *conveniat arborumque generi* a d s c r i p s i s s e sq. Pariter reperitur cum *licet, fas est*, similibus. XXXV, 2, 8: *Sed pace Messalarum* d i x i s s e *liceat* sq. XXXIV, 10, 102. XXVIII, 6, 67: *Quod fas sit* d i x i s s e. Sic semper per euphemismum quendam sive quod ipse

dixit ibid. 8, 87: *Haec sunt quae* r e t u l i s s e *fas sit ac pleraque non nisi* h o n o r e d i c t o. Ibid. 7, 77: *Dixisse non pudeat* sq. Contra ibid. 8, 116: *Pudet* r e f e r r e, idque non sine sensus quodam discrimine. Conjungitur hic infinitivus etiam cum *contentum esse*, *malle*, velut cum *satis esse* legimus paulo ante. XIX, 6, 115: *Alii contenti sunt* s u s p e n d i s s e sq. XVII, 14, 112: *Mirum quod non contentus insitum* m u n i s s e (Cato), *ut dictum est, et caespite ab imbre frigoribusque* p r o t e x i s s e sq. XXIII, prooem. 1: *Non contenta* (natura) *delicias .... nobiliter* i n s t r u x i s s e sq. XVII, 5, 38: *Hoc enim* (sc. crocum *sapiunt*) *Cicero maluit* d i x i s s e *quam redolent.* XXVIII, 11, 179: *Miscuisse malunt* sq. Ibid. 14, 203. Contra ibid. 12, 188: *Maluere* u t i, sc. propter verbi formam, ut saepius. Singularia magis haec sunt: XVII, 4, 26: *Quid enim abiete procerius? at quae* v i x i s s e *possit alia in loco eodem?* XXI, 10, 50: *Quid interest* o c c u l t a s s e *id naturam* sq. XXIX, 4, 68: *Quae* c o a r g u i s s e *non minus refert quam contra serpentis remedia* d e m o n s t r a s s e. XXVIII, 1, 3: *Illud* a d m o n u i s s e *perquam necessarium est* sq. XXIX, 1, 18: *Medicoque tantum hominem* o c c i d i s s e *impunitas summa est.* XI, 53, 283: *Homini non utique septimo* (sc. die) *letale est inediam* d u r a s s e. XIV, 1, 8: *Ut vel hoc uno omnia gentium* v i c i s s e *etiam odorifera possit* (Italia) *videri bona* sq. XXVIII, 17, 238: *Sunt qui* i n c o x i s s e *aceto utilius putent* sq. XVII, 27, 254: *Etiam radices* c i r c u m c i d i s s e *prodest vitium luxuriantium ficorumque et circumcisis cinerem* a d d i d i s s e. XXVIII, 16, 224: *Comitiali morbo testis ursinos* e d i s s e *prodest vel aprunos* b i b i s s e sq. Sc. *edisse* demum prodest, itaque saepissime illud quidem verbum in accuratam rei de-

scriptionem conjunctum exstat cum perfecti temporis infinitivo [1]).

β) *Passivo* in genere eadem fere illa verba secundum usum Plinianum conjuncta leguntur cum infinitivo *praesentis*, ubi activi infinitivum aliquis exspectaverit vel etiam participium, velut in his *factum volo*, *socios malo conservatos* et similibus. Factumque propter longiorem et difficiliorem formam *perfecti passivi* arbitror, ut in his *praesenti* tempore scriptores uti mallent subjecto plerumque omisso, quod quidem nos vocula „man" vertere solemus. Igitur duo tantum potui reperire hujusmodi exempla: II, 7, 15: *Multis etiam pestibus, dum esse placatas cupimus* sq. XVII, 11, 77: (Ulmos) *rariores serendas in campestribus convenit.* (De ellipsi quidem verbi in hoc cf. supra p. 12 et 13.) Contra plurima infinitivi praesentis eodem cum verbo *conveniendi* exstant exempla. XVII, 11, 77: *Disponi quoque maturius convenit* sq. Item 10, 70. 10, 68. 6, 43. XIX, 6, 108. XX, 9, 84. XXII, 22, 95. Bis tantum cum infinitivo activi: XVII, 26, 249 et XXII, 24, 119. Praeterea huc pertinent XVI, 36, 118: *De Orchomenii lacus harundinetis accuratius dici cogit admiratio antiqua.* XVII, 12, 92: *Crebriores* (arbores) *seri conducit* sq.

---

[1]) Rara vero, id quod mirere, similia sunt apud Senecam. Cf. De Benefic. II, 11, 5: Parum est *dedisse* sq. VII, 7, 5: Quanto majoris viri putas *respuisse* hoc munus quam meruisse? Ibid. 14, 5: Parum est pecuniam *quaesisse* sq. Epp. XV, 2, 69: Magna pars sanitatis est hortatores insaniae *reliquisse*. Ibid. 3, 38: Proderit arma in conspectu *posuisse* propiusque *admovisse* sq. Frequentiora haec sane poetis, velut Horatii illud in Ep. ad Pis. 455: Vesanum *tetigisse* timent fugiuntque poetam.

Ibid. 18, 128: (Dies) *quibus* *seri* *noceat.* Ibid. 22, 193: *Si macra vitis idoneos palmites non habeat, ad terram* *recidi* *eam novosque* *elici* *utilissimum.* Ibid. 194: *Utilius putant* *statui* sq. Ibid. 3, 19: *Vergilius* (arbores) *ad occasum* *seri* *damnavit.*

Itaque eadem ratione multa verba ad exemplum verbi *jubendi* constructa videmus [1]. Sic saepissime ponitur verbum *suadendi,* cf. XXVIII, 6, 69: *Hesiodus juxta obstantia* *reddi* *suadet.* Ibid. 14, 207. 19, 246 et passim in seqq. XVIII, 26, 232: *Vina tum* *defaecari* *vel etiam* *diffundi* *Hyginus suadet.* XVII, 3, 23: XIX, 5, 85. XX, 9, 83. Semel, ni fallor, cum activo XXVIII, 6, 57: *Varro suadet palmam alterna manu* *scalpere.* Et XI, 16, 42: *Relinqui* *persuadet.* (De quo quidem verbo composito cf. etiam XVII, 14, 102: (Ratio) *mortalitati eorum et numero succurrere* *persuasa.*) Praeterea sic dictum est *praecipere*, cf. XV, 16, 59: *Praecipitur pomaria in loco frigido ac sicco* *contabulari* ..... *colligi* *mala post aequinoctium autumni* sq. Ibid. 17, 62: *Deputari* *statim poma praecipiunt* ..... *similiter* *deligi* *et ex locis siccis* sq. XVII, 24, 240. XXVIII, 4, 45. X, 23, 69: *Comitialem propter morbum* *despui* *suetum* sq. IX, 46, 153: *Nisi praeceleri vi repente rapiunt,* *absumi* *spectant.* XIX, 5, 73: *Eas* (cucurbitas) *quae semini serventur ante hiemen* *praecidi* *non est mos.* Ibid. 4, 51: *Moris non fuerat in oppidis* *habitari* *rura.* Ibid. 10, 177: *Non expedire* *tangi* *rutam* sq. XVI, 43, 233: *Placuit deinde* *quaeri* sq. XVIII, 7, 48: *Indicari* *deceat* sq. Ibid. 13, 128.

---

[1]) Cf. Madvig. § 390, Anm. 4. 5.

γ) His accedunt nonnulla etiam liberius et poetarum ad exempla usurpata. XXII, 21, 59: *Nostri verruncariam herbam appellavere aliis cognominari effectibus digniorem.* XVIII, 7, 79: *Seri* (hordeum) *non volt nisi in sicca et soluta terra* sq. XV, 12, 40: *Longissima namque decerpto* (pomo) *bidui mora est cogitque se venumdari.* Ibid. 14, 52: *Decerpi properantibus* sq. XXXVII, 10, 167: *Hammonis cornu ..... promittitur praedivina somnia repraesentare.* VIII, 16, 47: *Quod plerique* (leones) *dentibus defici reperiantur.* Quod quidem contra Janum, qui *defecti* scripsit, vindicatum velimus. XVIII, 10, 92: *Ob id jumentis dari ab Homero dicta* (siligo). XVII, 21, 163: *Ut defringerentur* (surculi) *ex imputata buxo, aliter vivere non crediti.* XIV, 18, 118: (Maris jactatus vinis) *quae duraverint tantum vetustatis adjicere sentitur quantum habuerint.* Similia leguntur haec: IX, 6, 12: *Mire gaudentes ibi parere.* XV, 1, 4: *Interradi gaudent.* XXI, 6, 34: (Crocum) *gaudet calcari et atteri.* Ibid. 8, 47: *Mirum in eo* (amaranto) *gaudere decerpi* sq. XVIII, 6, 35: *Mago censuit hoc exordio praecepta pandere ingressus* sq. XXII, 22, 90: *Cleemporus nigro* (soncho) *prohibet vesci* sq. Sed *prohibere* etiam apud antiquiores ita usurpatum reperitur.

δ) Audacius vero positum legimus infinitivum praesentis passivi secundum XXXI, 2, 7: *Ponam enim carmen ubique legi* sq. in his duobus exemplis. XXXIV, 8, 59: *Item* (sc. fecit) *Apollinem serpentemque ejus sagittis configi.* Hoc sane significandae arti, qua quasi *dum configitur* sagittis, κατατοξευόμενος, pictus erat serpens. XXXV, 11, 144. *Idem* (Theodorus pinxit) *ab Oreste matrem et Aegisthum interfici.*

ε) Liberrime quoque Plinius usus est verbi *esse* tertia persona, ut idem sit ac *licet*, ἔστιν, ἔξεστιν, quocum adverbium *vix* plerumque conjunxit ita, ut infinitivus subsequatur magna dicendi brevitate. XI, 25, 87: *Supervacuo, quoniam non est scire* sq. Ibid. 85: *Insectorum vix ulla alia narratio est.* Atque id quidem per substantivum, sed cf. II, 7, 20: *Vix prope est judicare* sq. XXX, 15, 137: *Vix est serio complecti quaedam* sq. XIX, 8, 170: *Vix est sato semel* (sinapi) *eo liberare locum*[1]. XVII, 9, 50: *De nostris moribus bene sperare est* sq. Ibid. 11, 81. XX, 18, 203: *Perpeti non est* sq. XXII, 6, 16: *Providentiam naturae satis mirari amplectique non est.* Ibid. 12, 30. VIII, 23, 87: *Non est fateri* sq. Ibid. 37, 134: *Aliter non est occidere* (irenaceos) *et tergori parcere.* XXXIV, 13, 132.

ζ) Denique, quod non negligendum videbatur, in tanta scriptoris brevitate ac libertate dicendi longe minus apud Plinium quam exspectaveris obtinet usus infinitivi quem *historicum* dicunt, vehementioribus animi motibus aptum illum quidem describendis, quemadmodum apud Sallustium et Tacitum usurpatum saepe videmus. Sunt similis certe generis loci initio lib. XIV, 1, 6: *Passim vero etiam egregii aliena vitia quam bona sua colere malle.* (Nisi tu mavis ibi ex superioribus intelligere verbum *coepisse*, cf. supra de ellipsi verbi

---

[1]) Ceterum illud *vix*, ut *fortassis* et similia propria habenda erunt Plinii, apud quem nusquam, ni fallor, *aegre* vel simile dicatur, sed *vix*. Cf. XVIII, 35, 358: Et lumina, cum ex sese flammas elidunt aut *vix* accenduntur sq. XXI, 10, 57: Translatum est ex Attica thymum et *vix* flore, uti docemur, satum.

p. 19.) XIX, prooem. 4: *Audax vita, scelerum plena, aliquid seri, ut ventos procellasque recipiat, et parum esse fluctibus solis vehi, jam vero nec vela satis esse majora navigiis; sed quamvis vix* (sic Janus) *amplitudini antennarum singulae arbores sufficiant, super eas tamen addi velorum alia vela praeterque ..... pandi ac tot modis provocari mortem. Denique tam parvo semine nasci ..... a tellure tolli, neque id viribus suis necti* sq. Habes omnia deinceps per infinitivos cum *exclamatione* dicta. Item XXVI, 1, 4: *Aliqua gigni repente vitia terrarum in parte* sq. Raro admodum in adjunctis enuntiatis orationis obliquae, quam vocant, reperitur accusativus cum infinitivo. II, 10, 45: *Solis fulgore eam, ut reliqua siderum regi, siquidem in totum mutuata ab eo luce fulgere.* VIII, 16, 48: *Varia circa hoc opinio ex ingenio cujusque ..... quippe obviam serpentes extrahi cantu.* Aliquotiens etiam verbum aliquod *dicendi* ex antecedentibus eliciendum est, ut XXVI, 1, 4: *Tamquam malo eligente haec in pueris grassari, illa in adultis, haec proceres sentire, illa pauperes*, sc. tamquam malo ita *volente, decernente.* Cf. XXVIII, 2, 13: *Si semel recipiatur ea ratio et deos preces aliquas exaudire aut illis moveri verbis* sq., sc. infinitivi additi sunt pro subjecto, quemadmodum pro objecto in hoc: XXXIII, 2, 36: *Causam quae supra indicata est exponit invitosque etiamnum tamen* (equites) *trossulos vocari.* Cf. X, 29, 84: *Visum jam saepe jussas canere* (luscinias) *coepisse et cum symphonia alternasse, sicut homines repertos qui* sq., et supra de ellipsi verbi p. 12 et 17.

VI.

DE PARTICULIS QUIBUSDAM.

Restat, ut iis, quae in superioribus de *nominibus* et *verbis* exposui, pauca adjiciam de *particulis adverbiisque*, quae Pliniani sermonis propria esse videantur. Nam pluribus disputare de his, praesertim quum partem etymologicam grammaticae Plinianae Wannowskius (cf. pag. 4) non dico absolverit, sed proprio libello aliquantum illustraverit, nunc neque lubet neque mihi vacat. Quamquam vel in his quaestionibus multa video monenda esse post illum virum et accuratius inter se conferenda. Velut in propriis Plinii vocabulis negligendum non erat *fortassis*, cujus formam sic ubique in libris Nat. Hist. restituendam esse exploratum est mihi [1]). Item ad etymologiam pertinebant singularia nonnulla vocabula simplici forma pro compositis usitata, cujusmodi leguntur II, 2, 5: *medius* pro *dimidius* [2]); ibid.: in eo *spectu* pro *respectu;* VII, 28, 101: *miratus* pro *admiratus*, velut ibid. 30, 110: *Mirantibus* (sc. defensionem) *tum magis miraturos* dixit sq. Item XXXV, 80: *Cum Protogenis opus miraretur;* ibid. 93. Cujus quidem generis apud Tacitum multa reperiuntur exempla. Deinde ex adverbiis in *atius*, quae propria scriptorum argenteae aetatis existimanda sunt, Wann.

---

1) Cf. XI, 37, 129. 45, 250. XII, 4, 19. XV, 29, 122. 30, 134. 137. XVIII, 6, 36. XX, 4, 28. 5, 32. XXI, 8, 46. 21, 153.

2) Quo de vocab. cf. Köchly, Einleitung zu Caes. Comment. de bello gall. p. 95.

l. l. p. 27 solum *causatius* attulit[1]). Singulare quoque est *obiter* pro *in via*, *per iter*, aliaque multa. Verum nos de aliquot *conjunctionibus* videamus.

Atque in his usu paulo uberiore saepe conjunguntur a Plinio *hinc* et *deinde*. Cf. XXVIII, 10, 162: *Hinc deinde praevertemur* sq. Ibid. extr. XIV, 11, 87: *Et hinc deinde altius cura serpit* sq. XI, 37, 131: *A priori parte capitis, tum deinde ab aversa*. Ibid. 216. XVI, 44, 251[2]). Saepissime vero usurpantur *et — autem*. Cf. II, 18, 80: *Et ipsa autem luna* sq. Ibid. 97, 217: *Et interiora autem maria* sq. VIII, 25, 89: *Et unguibus autem armatus* sq. XVII, 20, 145: *Et hanc autem* sq. XVIII, 10, 99. XVII, 24, 233: *Et ibi autem et in reliquis partibus etiam paucis diebus* sq. IX, 35, 115: *Nec in Acarnania autem*; contra ibid. 116: *Non autem*. VII, 30, 112: *Et Romani proceres etiam* sq. De quo Url. l. l. p. 64 monet posteriorem voculam conjungendam esse cum vocabulo *proceres*. XVII, 1, 8: *Et arborum quoque* sq.[3]). X, 10, 28: *Traduntur autem et* sq. sc. *et* pro *etiam*, ut assolet apud argentei saeculi scriptores. XVIII, 35, 360:

---

[1]) Cf. Seneca De Ira II, 32, 1: *excusatius* peccat; ibid. III, 14, 4: *sceleratius* laudatum sq. De Vita Beata I, 1: *concitatius* fertur. Epp. XIX, 1, 7: *circumspectius* pedem ponimus. Ceterum quem aliis scriptoribus frequentem usum videmus, ut etiam adjectiva ponantur adverbiorum loco, is apud Plinium admodum est rarus, cf. XVII, 22, 171: *minimum*; ibid: *plurimum*. X, 21, 47: adspicit *crebra*, velut *συχνά*, πολλά apud Graecos.

[2]) Cf. Zumpt. § 331, Anm. 2. Hand Tursell. II, p. 236. Apud Graecos εὐθὺς ἐφεξῆς, εὐθὺς παραχρῆμα, ἐξαίφνης εὐθὺς et similia.

[3]) Cf. apud Plin. Sec. Epp. X, 97, 6: *Etiam* ante viginti *quoque* (sc. annos).

Et quidem e t *montium sonitus* sq. XII, 1, 5: *Et mensae* .... *etiam nunc tamen secundae.* XV, 3, 18: *Et is tamen etiam* sq. XVI, 10, 40: (Picea) *jam tamen et in domos recepta* sq.

Jam hoc loco quaerendum videtur, quonam ordine in Nat. Hist. positam vel ponendam esse putemus particulam *vero.* Nam legitur consensu MSS. XXII, 7, 18: (Erynge) *peculiariter efficax contra chersydros ac ranas. vero omnibus contra toxica et aconita efficaciorem* sq. Quod quidem ita positum primo loco, quamvis abhorreat a vulgato usu, recepit Janus [1]). Multa sane liberius posita reperiuntur apud Plinium [2]), verum quum solum exstet istud exemplum, ego valde, mehercule, dubito, num recte particula illo loco admittatur. Fortasse, si conjecturae locus est, orta ea est ex *verom* propter insequentes litteras *omn*, ut scribendum sit *verum.* Certe non ita sunt rari tales errores [3]). Atque eadem de causa suspectum est mihi *verum* secundo loco admissum a Jano XVIII, 3, 16: *Quo verum anno Mater deum advecta Romam est* sq. Ibid. 17, 162: *Diligentioribus verum cum centesimo* sq. Accedit, quod utroque loco variant MSS. Contra legimus XVIII, 11, 108: *Nec cocos vero habebant* sq. XVI, 36, 156: *Et in*

---

1) Cf. Praefat. ejus ad Vol. III. extr.

2) Qua de re cf. hujusmodi singularia exempla II, 47, 119: Illum apelioten, hunc *Graeci* eurum appellant. VIII, 16, 55: *Primusque*, ubi *que* potius cum alteroutro verbo erat conjungendum. VII, 1, 1: Non sit *ut* satis sq. X, 29, 82: Non sit *ut* dubium sq. XII, 17, 72: Vix *ut* sq. XVIII, 6, 43: Omnium sententiis absolutus *itaque* est. Vel etiam anastrophen, ut XXXV, 10, 77; Omnia *ante* sq.

3) Cf. supra p. 81, not. 2.

reliquo vero orbe et camaras levissime suspendunt. (Quo quidem loco illud prius *et* delendum est; inest enim corruptela in antecedentibus *tecta alta*, ubi Janus cum Silligio scripsit *tecta talia.*) Porro videtur memorabile, quod nonnunquam *neque* positum legimus pro *ne-quidem* ad exemplum ceterorum posterioris aevi scriptorum [1]. XIX, prooem. 5: *Jam vero nec vela satis esse* sq. XXXIII, 1, 12: *Equidem nec Iliacis temporibus ullos fuisse anulos video.* XXXV, 2, 7: *Quae nec emptori refigere liceret* sq. Cf. etiam cum his VII, 19, 79: *Eodem semper fuisse voltu, nec aut hilaro magis aut turbato* [2]. *Aut* quidem reperitur etiam pro *sive* positum XXIII, 1, 24: *Flemina aut sanguinem.* XXXIV, 7, 33: *Dierum nota aut per significationem temporis* sq. Eadem particula usurpatur apud Plinium negationi continuandae XXVIII, 2, 10: *Victimam caedi sine precatione non videtur referre aut deos rite consuli.*

Ad *negationem* quod attinet, conferenda sunt etiam haec XXXVI, 15, 113: *Non patria istos ne hac quidem gloria famae frui* sq. [3]. VII, 43, 137: *Non melioris sortis tunc fuere pereuntes....? Age, non exitus vitae ejus.... crudelior fuit?* XXXVI, 15, 102: *Nec ut circum maximum.... inter magna opera dicamus, nonne inter magnifica basilicam Pauli.... non et tectum diribitorii?* sq. In quibus *non* pro *nonne*, ut saepe apud argenteae aetatis scriptores. VIII, 42, 158: *Domitis frenis, ne regi posset* sq. sc. *ita ut non* posset regi.

---

1) Cf. Madvig. § 457, Anm.

2) Apud Senecam De Benef. V, 19, 7 (tom. II, p. 102. ed. Haase): Et interim *nec* nosti *quidem* patrem.

3) Cf. Madvig. § 460, Anm. 2.

Deinde notandum est *quidem* pro adversativa particula saepe positum. VII, 12, 56: *Diversarum quidem gentium natales* sq. XXI, 3, 10: *Florum quidem populus Romanus honorem Scipioni tantum habuit*, sc. corollis opponuntur ibi flores. XXV, 2, 11: *Homerus quidem* sq. XXXIII, 1, 8: *Midae quidem anulum* sq. Ibid. 9. IX, 9, 34: *Distant* (thursiones a delphinis) *et tristitia quidem adspectatus* sq. (Sed hoc loco verum mihi videtur *tristitia quadam*, quod praebent SR[2].)

De conjunctione *quam* memorandum est, eam in comparatione rerum modo liberius usitatam esse modo prorsus omissam ad exempla poetarum aliorumque scriptorum argentei linguae Latinae saeculi, quod vocant. XIX, 1, 9: *Ideo duplex quam ceteris pretium.* XXI, 17, 102: *Perdicium et aliae gentes quam Aegyptii colunt.* XXXVI, 5, 32: (Charites) *Socrates fecit, alius ille quam pictor.* IX, 57, 178: (Iis piscibus) *umoris quidem vim aliquam inesse quam puteis.* Quod Janus interpretatus est: *eandem quam.* XI, 45, 248: *Cetera animalia in diversum posterioribus pedibus quam prioribus* sq. X, 12, 31: *Non plus bina conjugia sunt.* Ibid. 23, 67: *Plus uno die pergit.* Ibid. 53, 150: *Plus vicena quina* (ova). Contra ibid. 58, 158: *Nec plus quam bis vere pariunt .... nunquam plus duobus educunt.* XVII, 23, 204: *In terra non pauciores quatuor gemmae obruuntur* sq. Quaerit Janus ad hunc locum: An *quam quatuor* verum sit? Equidem negaverim quicquam esse corrigendum, pariterque illud ferendum erit ac si legatur: In terra *quatuor, non pauciores,* gemmae obruuntur. Cf. XXXV, 10, 85: *Quod in crepidis una pauciores intus fecisset ansas* sq. IX, 55, 171: *Villam intra quam modicum quadragiens*

piscinae vendiderunt. Pro *citra,* quod Tacito quidem est usitatissimum. *Amplius* vero in hujusmodi enuntiatis non memini legere apud Plinium; contra etiam pro *ac* idem illud *quam* legitur II, 81, 196: *Intremunt vero et in navibus posita aeque quam in aedificiis* sq.

Praeterea eodem sensu, quo apud omnes scriptores ejusdem cum Plinio aetatis reperitur, legimus *quandoque* pro *quandocunque,* velut XXIX, 1, 14: *Quandoque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet.* Propria vero Plinii *quamlibeat* et similes aliquot formae pronominum conjunctivo verbi formatae esse videntur. XV, 3, 16: (Olivae) *quamlibeat immaturae.* Ibid. 30, 130: *Itaque* (laurus) *quantalibeat sub umbra solum implet.* XVI, 4, 12: *Quasque* (leges) *conferre libeat* sq. XVIII, 9, 87. Ibid. 11, 103: *Quo libeat vero tempore* sq. XVI, 42, 225: *Ad quaecunque libeat* sq. Peculiariter etiam usurpatur *quippe* VIII, 16, 48: *Varia circa hoc opinio .... quippe* (da zum Beispiel) *obviam serpentes extrahi cantu* sq. *Ita* negligenter omittitur XXXIII, 1, 18: *Ut enim adjectum hoc quoque „sed et phaleras positas" propter quae nomen equitum adjectum est, anulos quoque depositos .... relatum est.* Deinde *quod* a verbo declarandi pendens conjungitur cum conjunctivo, ubi melioris notae scriptores ponunt infinitivum, XXIX, 1, 14: *Quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere, vincam.* Quamquam hic locus a Plinio e scriptis Catonis depromptus est. De conjunctione *ut* cf. singularia haec. XXXIII, 1, 25: *Denique ut plurima opum scelera anulis fiunt.* Quod alibi nonnisi cum adverbiis, opinor, ita conjungitur. XIV, 4, 56: *Quod ut statuantur* sq. velut alibi *quod si* enuntiatis conjungendis. Cf. XXXVI,

15, 102: *Nec ut* (und wenn wir auch nicht) *circum maximum ..... inter magna opera dicamus* sq. Notum praeterea, *si* haud raro pro *an* poni, quod egregie restitutum est ab Url. et Jano XI, 17, 57: *Aequo modo si sine aculeo nascantur in quaestione est,* nam exciderat propter insequentem syllabam.

Hactenus de particulis. Neque enim erit, opinor, qui Ciceronianam horum vocabulorum ubertatem vel nexum illum orationis admirabilem semper, quem particularum multitudine varietate concinnitate instructum atque ornatum videmus, apud auctorem Naturalis Historiae requirat. Quantas vero ad angustias et compositionis quasi inopiam ea aetate, de qua loquimur, lingua Latina redacta fuerit, particularum egestate vel maxime licet coarguere. Igitur neque iis indici solent sententiae proponendae apud ullum ejus aetatis auctorem, neque vocabulorum hujus generis auxilio, ut assolet in antiquo sermone, enuntiatis subjiciuntur enuntiata, sed separatim ac seorsum sequuntur juxta posita; neque relativum varia sua forma munere in his fungitur conjungendi, sed per demonstrativa plerumque cohaerent orationis membra. Fitque eodem illo compositionis genere, ut periodorum, quas vocant, artificio atque cultu destitutam fere orationem ac paene nudam liceat mirari. Premuntur utique scriptores illi particularum tanta quasi penuria, ut, si cum prioribus comparentur, arte illa expeditae et facile currentis orationis prorsus videantur defici. Quid multa? Periodorum quidem paulo ampliorum nihil est videre; quae vero appellaveris hoc nomine, ea aut inflato genere dicendi et membrorum confusione verborumque contentione corrupta dehiscunt, aut nihil nisi longiores quidam sunt complexus enun-

tiatorum per participia vel ablativos absolutos vel gerundia *vario modo miraque brevitate* in semet ipsa implicatorum. [Cf. in exemplis supra propositis p. 43, XXXV, 10, 91. XVIII, 6, 35. XXII, 6, 15. p. 44, XXXIII, 53 med. p. 46, VII, 37, 124. p. 47, VIII, 16, 54. XXXV, 8, 85. p. 82, XXXVI, 15, 124. p. 86, XXXV, 4, 23. p. 100, XXVIII, 2, 15.

Quare nos in omnibus reliquis, quae Plinianae orationi insunt eximia ac propria quaeque in superioribus magna ex parte mihi videor exposuisse, genus ipsum dicendi vel propter solam vocabulorum illorum inopiam ab antiquiore componendi ratione plane abhorrere judicabimus.

VII.

DE ARGUTIIS QUIBUSDAM VERBORUM.

Cum in ceteris Plinius, ut supra p. 69—71 et p. 78—80 demonstravi, multa poctarum ex usu vocabula in pedestrem orationem arcessivit, tum lepores quosdam verborum et sententiarum, quos Cicero quidem in deliciis sermonis vel potius ineptiis numeravit, non rejecit [1]). Constat genus modo aliqua minuta ex adverso posita sententia, modo una sola voce argute ad rem depingendam adhibita. Alterum quidem illud at-

---

[1]) Cf. Cic. Orator. 12, 39. Aut. ad Her. IV, 21, 29 de annominatione sive παρονομασίᾳ. Quintil. Instit. Orat. IX, 3, 66.

tingit Url. l. l. p. 28 ad locum Plinii lib. II, 63, 156: „In so gesuchten und spielenden Gegensätzen hatte die Litteratur sich durch Seneca's Beispiel bewegen gelernt". Ceterum tametsi omnium maxime Seneca argutis minutissimisque sententiis rerum pondera fregit vehementiusque orationem illustravit hujusmodi luminibus verborum cultuque exquisito, tamen etiam multo ante aetatem Senecae, priusquam hujus auctoris concisum et argutum dicendi genus latius serpsit, non fugiebant scriptores similia, quae litteratis Italorum vocabulo *concetti* appellantur. Initium quidem rei investigare licet inde a comoediae laetioribus incrementis et in Plautinis maxime fabulis [1]). Equidem hoc loco etiam alterius generis, argutae conjunctionis verborum, exempla quaesita cura quae videantur adhibita, comparando illius aetatis sermoni, ut in ceteris feci, ex Plinio majore et minore, praeterea e scriptis Senecae deprehensa afferam. Nat. Hist. IX, 34, 105: *Nisi qui vescimur periculis etiam vestiamur.* Ibid. 17, 67: *Coquos emi singulos pluris quam equos quiritabant.* X, 50, 141: *Ex eo coepimus carcere animalia coërcere* sq. Jam ex his intelligimus exemplis obtinere hunc usum seu lusum verborum, cum auctor, sicut in exordiis fere singulorum librorum, in reliqua sententiarum crebritate ac vitiorum incusatione quasi molliter et praeter modum vehementioribus indulget animi motibus. Contra casu videntur excidisse, quae hujus generis sunt: XVIII, 3, 15: *Qua de causa statua ei a populo stipe collata statuta est.*

---

[1]) Cf. Caesaris aliorumque facetias apud Cic. De Orat. II, 50 sq. et Morgenblatt, Mai 1858, No. 21: Altrömischer Witz, besonders des Cicero und Augustus, aus Cic. Quintil. etc. geschöpft.

Hoc quidem, ut assolet in graeco sermone. Ibid. 34, 336. Cum quibus, si videbitur, cf. apud Plin. Sec. Epp. III, 14, 1: *Parum, immo nimium* meminisset sq. (Cf. Tacit. Hist. II, 48: Neu patruum sibi Othonem fuisse aut *oblivisceretur* unquam aut *nimium meminisset*, *μήτ' ἐπιλαθέσθαι παντάπασι μήτ' ἄγαν μνημονεύειν.*) Ibid. VII, 10, 3: Ne rursus provinciae, quod damnasse dicitur, placeat agatque *poenitentiam poenitentiae suae.* (Cf. Curt. Ruf. X, 7, 12: *Poenitebat*que modo consilii, modo *poenitentiae ipsius.*) Ibid. VIII, 24, 2: Cogita te missum in provinciam Achajam, *illam veram et meram Graeciam* sq. Ibid. IX, 6, 4: Quos (dies) alii *otiosissimis occupationibus* perdunt. Hoc vero est *oxymorum* quod veteres dicebant Grammatici, cujus generis multa quidem apud eundem scriptorem reperiuntur, velut I, 10, 9: Scribo plurimas, sed *illitteratissimas litteras.* Velut Horatii illa *concordia discors*, *insaniens sapientia*, apud Lucretium *innumeri numeri*, in Ennii fragm. *ars iners*, apud Ciceronem *insepulta sepultura.* Ibid. II, 1, 1: Triginta annis gloriae suae supervixit; legit scripta de se carmina, legit historias et *posteritati suae interfuit.* IX, 26, 1: *Nihil peccat, nisi quod nihil peccat.* Ibid. 30, 4: Ea invasit homines habendi cupido, ut *possideri* magis quam *possidere* videantur. (Secundum illud Aristippi ἔχω, οὐκ ἔχομαι, quod apud Ciceronem Epp. ad. Fam. IX, 26 translatum exstat *habeo, non habeor* a Laide; apud Sallustium autem de bello Jugurth. II, 3: Agit (animus) atque *habet* cuncta neque ipse *habetur.*

Modum vero justum excedunt similia apud Senecam, apud quem multa jam non argutias habeamus verborum, sed quasi ineptias litterarum notemus. Cf. De

Tranquill. 12, 13: Quorum non immerito qui *inquietam inertiam* dixerit (velut nostrates „geschäftiges Nichtsthun"). De Vita Beata 14: Ceterum *non ipsi voluptatem*, sed *ipsos voluptas habet.* Paulo post: Ita habentes voluptates in magnum malum evasere *captaeque cepere* (ut Horatii illud: Graecia *capta* ferum victorem *cepit*). Ibid. extr.: Nec voluptates sibi *emit*, sed se voluptatibus *vendit.* De Ira I, 16, 1: Non oportet *peccata* corrigere *peccantem.* Mox ibid.: Satis tibi est magna *ad peccandum* causa *peccare.* Dialog. I, 5, 7: Accipimus *peritura perituri.* Dialog. II, 14, 3: Majore animo non *agnovit* quam *ignovisset.* De Brevit. Vitae 20: Cum in consummationem *dignitatis* per mille *indignitates* erupissent sq. Nat. Quaest. IV, praefat. 4: Ea maxime quisque *patet*, qua *petitur;* fortasse enim ideo, quia *patet*, *petitur.* Ibid. V, 18, 6: *Periclitamur periculi* causa. Dialog. VII (de Vita Beata), 28: Quae tempestates aut immineant vobis paulo tardius *rupturae* nimbum suum, aut jam vicinae vos ac vestra *rapturae* propius accesserint. Dial. VIII (de Otio) 1, 2: *Petita relinquimus, relicta repetimus.* Ibid. 5, 3: (Natura) *spectatores* nos tantis rerum *spectaculis* genuit sq. Epp. I, 7, 4: *Interfectores interfecturis* jubent obici. Ibid. 8, 4: *Habere* nos putamus, *haeremus.* Ibid. Philosophiae *servias* oportet, ut tibi contingat vera *libertas*..... hoc enim ipsum philosophiae *servire libertas* est. Ibid.: III, 6, 7: Suasit illi Satellius Quadratus, stultorum divitum *adrosor*, et quod sequitur, *adrisor*, et quod duobus his adjunctum est *derisor*, ut grammaticos haberet analectas. Ibid. extr.: Numquam nimis *dicitur*, quod numquam satis *discitur.* Ibid. 8, 7: Videbis eosdem intra exiguum tempus acerrime *ridere* et acerrime *rabere.*

XI, 2, 19: Recte *facti fecisse* merces est. XIII, 3, 44: Zenon Eleates omnia *negotia* de *negotio* dejecit: ait nihil esse. XV, 1, 4: Quemadmodum pretiosa rerum sic vita nostra non multum *pateat*, sed multum *pendeat*. Ceterum apud priores cf. Liv. XXII, 30, 4: Plebiscitum, quo *oneratus* magis quam *honoratus* sum. Cic. in Verr. act. II, 1, 1: Est idem Verres, qui fuit semper; ut *ad audendum* projectus, sic paratus *ad audiendum*. Ibid. 15, 40: O scelus! o *portentum* in ultimas terras *exportandum!* Cf. Epp. ad Att. I, 13: *parvo*, *pravo*; 16: *fames*, *fama* [1]).

---

[1]) De hujusmodi figuris, parechesi, allitteratione, assonantia cf. Seyffert ad Cic. Lael. p. 471: Omnia *praeclara rara*, item in Palaestra Ciceron., 3. Auflage, p. 82, de paronomasia in verbis *ornandi* et *onerandi*. Ceterum in exemplo ab illo allato ex Cic. Phil. II, 11, 25: Qui me non solum meis laudibus *ornaret*, sed etiam *oneraret* alienis, alterum verbum *oneraret* prorsus deletum est apud Halmium in edit. Weidmann. p. 75. Pluribus etiam de his exposuit Poggelius: Ueber den Reim und die Gleichklänge, Münster 1836, p. 36 sqq.

INDEX
LOCORUM NATURALIS HISTORIÆ,

QUOS IN HOC LIBELLO PARTIM ALITER INTERPRETANDOS, PARTIM CORRIGENDOS ESSE ARBITRABAR.

INDEX TITULORUM.